Book 6

DE

QUARTO TIBULLI LIBRO

THESIM

FACULTATI LITTERARUM PARISIENSI PROPONEBAT

G. LARROUMET

IN ORDINE LITTERARUM ET GRAMMATICÆ AGGREGATUS

PARISIIS

APUD HACHETTE ET SOCIOS, BIBLIOPOLAS

VIA DICTA BOULEVARD SAINT-GERMAIN, 79

1882

DE

QUARTO TIBULLI LIBRO

DOCTISSIMO VIRO ET OPTIMO MAGISTRO

E. BENOIST

IN FACULTATE LITTERARUM PARISIENS
POESEOS LATINÆ PROFESSORI

REVERENTIS ET GRATI ANIMI PIGNUS

D. D. D.

G. LARROUMET

DE

QUARTO TIBULLI LIBRO

PROŒMIUM

Etsi jamdudum sub Tibulli nomine quatuor elegorum libri inscribantur, plurimum abest ut omnia illa carmina parem auctoritatem habeant et recte referri queant ad eumdem poetam. Quæsitum est jam sæpius quæ Tibullo abjudicanda, quæ ei adscribenda videantur .Non solum docti viri multa incerta esse in libello qui sub nomine illius poetæ circumfertur judicaverunt, sed etiam multa aliena esse contendunt ; dissentiunt tantum de numero carminum quæ rejicienda sint et de scriptoribus quibus attribui debeant.

Nomina non proferam omnium qui multa cura multaque prudentia quæstionem illam agitaverunt, ne ampliorem indicem constituere necesse sit. Quædam tamen silentio non prætermittenda. Post-

quam Tibullum cum probata scientia Brouckhuysius[1], C. G. Heynius[2], Vossius[3], Bachius[4] ediderant et explicuerant, primus C. Lachmannus poetæ carminibus criticam commentationem adjecit[5]. Textum ab eo constitutum recepit iterum in manus novisque argumentis firmatum recensuit L. Dissenus[6]; recentissime L. Muellerius, post multos qui communi operi vel plus vel minus contulerunt[7], probatissimam editionem dedit quæ, mea quidem sententia, optima duci potest quamque in hac disputatione secutus sum[8].

1. Amstelodami, 1708, in-4.
2. Lipsiæ, 1755, 1777, 1798.
3. Edelbergæ, 1811.
4. Lipsiæ, 1819.
5. Cum Tibullo et Propertio, Berolini, 1829. — « In Tibulli carminibus edendis cum antea viri docti ita versati essent ut ex magno codicum numero eas lectiones quas optimum sensum præbere poetæque ingenio dignissimas esse putabant arriperent, quæ singulis libris auctoritas tribuenda esset non quærerent, primus Lachmannus in hoc quoque poeta ut in aliis certum fundamentum jecit e quo illius carminum textus exstrui posset. » « Hoc constare puto, in Tibulli textu constituendo, ab eo fundamento quod Lachmannus jecit non multum recedendum esse. Bonis enim codicibus qui præterea allati sunt nihil fere novi accessit, sed illud ipsum quod Lachmannus posuerat in summa re certius confirmatum est. » (M. Rothstein, *De Tibulli codicibus*, p. 1 et 107, Berolini, 1880.)
6. Gottingæ, 1835, 2 vol. Cf. recognitionem a Lachmanno datam in *HallerAllg. Lit.-Zeitung*, 1836, n° 109, sq., p. 251-263.
7. Inter quos Haupt, Lipsiæ, 1853-1858; A. Rossbach, ibid., 1855.
8. In *Bibliotheca scriptorum Græcorum et Romanorum Teubneriana*, Lipsiæ, 1870 et 1877.

De variis quæstionibus quæ Tibullum legenti occurrunt, disseruerunt F. A. Riglerius[1], H. Kemperius[2], W. Wisserius[3], H. Grothius[4], omissis multis qui breviores disputationes in lucem ediderunt[5]. Cujusque partis auctoritas præcipue tractata est a W. Spohnio[6], N. Æstlingio[7], W. Teuffelio[8], F. Teufelio[9], F. Gruppio[10], W. Hertzbergio[11], F. Passowio[12], Petersenio[13], F. Hankelio[14], H. Hartungio[15], præsertim de primo, secundo et quarto libro disputantibus; tertio operam dederunt Eichstadtius[16],

1. *Annotationes ad Tibullum*, tres partes, Postdami, 1839-1844, in-4.
2. *Quæstiones Tibullianæ*, Monasterii, 1857.
3. *Quæstiones Tibullianæ*, Lipsiæ, 1869.
4. *Quæstiones Tibullianæ*, Halis Saxonum, 1872.
5. Vid. W. S. Teuffel, *Geschichte der Römischen Literatur*, 245, translat. gall., J. Bonnard et P. Pierson, t. II, p. 73-77.
6. *De Tibulli vita et carminibus disputatio*, Lipsiæ, 1819.
7. *De Albii Tibulli vita et carminibus quæstiones*, Upsala, 1860.
8. *Studien und Charakteristichen*, 1871.
9. *De Catulli*, etc., *vocibus singularibus*, 1872.
10. *Die romische Elegie*, Lipsiæ, 1838.
11. *Hallische Jahrbücher*, 1839, t. I, p. 1009-1031.
12. *De ordine temporum quo primi libri elegias scripsit Tibullus*, Vratislaviæ, 1831.
13. *De quarti libri Tib. elegiis earumque auctore*, Fani Fortunæ, 1849.
14. *De panegyrico in Messalam tibulliano*, Lipsiæ, 1874.
15. *De panegyrico ad Messalam pseudo-tibulliano*, Halis Saxonum, 1880.
16. *De Lygdami carminibus quæ nuper appellata sunt*, Iena, 1810-1835.

R. Torneblatius[1], C. Stumpius[2], L. Bollius[3]. In hoc indice gallica nomina desiderentur, si proferre non possimus doctissimos duos viros qui de litteris latinis et præsertim de elegis recentiore sæculo meruerunt; scilicet C. F. Fraguier et J.B. Souchay, Academiæ Inscriptionum et Liberalium Litterarum dum vivebant sodales, eximias disputationes ediderunt, in quibus opera Tibulli cum summa prudentia et optimo judicio disquirunt[4]. Nuper J. Soury de celeberrima poetæ amica, Delia nomine, disserebat[5]. Denique vir doctissimus E. Benoist, qui tam bene nostra ætate de musis latinis meret cujusque inter discipulos me fuisse glorior, nuperrime[6] in Facultate Litterarum Parisiensi Tibulli vitæ et scriptis impensam operam dedit. Etsi ejus prælectiones non adhuc collectæ nec typis mandatæ sint, tamen ex notis a me subscriptis, dum lectionibus illis intereram, pleraque excerpere potui quæ in sequenti disputatione proferam. Si qua bona sint optimo magistro, si mala mihi tribuenda sunt.

1. *De elegiis Lygdami commentatio*, Calmar, 1861.
2. *De Lygdami qui vocatur elegiis*, Halis Saxonum, 1827.
3. *De Lygdami carminibus*, Gottingæ, 1872.
4. *Mémoires de l'Académie des Inscriptions et Belles-Lettres*, t. VI, p. 277 et sqq., t. VII, p. 335 et 384, sqq.
5. *La Delia de Tibulle*, in *la Revue des Deux-Mondes*, 1er septembre 1872.
6. Sex primis mensibus anni scholast. 1875-1876.

Longum sit argumenta contrahere quibus proprium quisque propositum adjuvit; satis in præsenti habebo exponere quid certissimum colligi possit de summa totius disputationis, scilicet de fide operum quæ Tibulli nomen præferunt. Primus et secundus liber poetæ adscribi possunt et ab eo sine dubio sunt editi; tertius, ab omnibus fere doctis abjudicatus[1], Lygdamo cuidam[2] tribuitur. Quod vero ad quartum attinet, sententiæ inter se valde discrepantes prolatæ sunt, nec parvi laboris est inter proposita præstantissimorum hominum auctoritate fulta deligere. Sunt inter doctos qui totum illum librum Tibullo attribuant, sunt qui totum abjudicent, sunt qui vel plus vel minus carminum quibus constet admittant aut rejiciant. Illi igitur quarto libro incumbam, tum quia maxima de quo disputatio et dubitatio est, tum quia in toto poetæ opere nulla alia pars est cui major cura adhibenda sit. Quædam in eo sunt mediocria, fere tirone quodam digna; sunt plura optima et eximiæ artis, vel lepore vel quodam fervore amoris plena et quasi flammam nunc etiam spirantia.

1. Solus M. W. Fuss in disputatione *De elegiarum libro quem Lygdami esse putant*, Monasterii, 1867, contendit, sed tenuissimis argumentis, librum Tibullo tribuendum esse.

2. De Lygdamo, vid. infra, p. 15.

CAPUT PRIMUM

PAUCA DE TIBULLI VITA. — QUOMODO EJUS CARMINA EDITA SINT. — QUÆ IN OPERIBUS EJUS PARTES CERTÆ SINT, QUÆ DUBIÆ VIDEANTUR. — MESSALA ET EJUS CŒTUS. — DE QUARTI LIBRI PARTIBUS.

Antequam quarti libri recognitionem aggrediamur, pauca de Tibulli vita disserere necesse est, ut exquirere possimus quomodo poeta carmina condiderit, quomodo in lucem protulerit.

Dies intra quos ejus vita fluxerit haud facile definiuntur. De ultima certiores nos faciunt Domitii Marsi versus qui in fronte manuscriptorum præpositi sunt[1],

Te quoque Virgilio comitem non æqua, Tibulle,
Mors juvenem campos misit ad Elysios,
Ne foret aut elegis molles qui fleret amores
Aut caneret forti regia bella pede.

Virgilius obiit XI ante calendas octobres 735 p. u. c., 19 a. C. n.; Tibullum ergo mortuum esse vel

1. Verisimile est illos versus in libro, nunc amisso, Suetonii *De Poetis* insertos fuisse.

sub fine ejusdem anni vel initio sequentis anni significatur.

Natalem vero annum ipse Tibullus sic nobis tradit :

Natalem primo nostrum videre parentes
Cum cecidit fato consul uterque pari [1].

Scilicet anno 711, quo A. Hirtius et C. Vib. Pansa consules sub Mutinæ mœnibus occisi sunt. Sed nullo modo natalis ille congruit cum tempore quo poeta M. V. Messalæ amicitia usus est, inter 723 et 727, certe plus quam undecim annos natus. Docti viri igitur, inter quos J. J. Scaligerius [2], Douza [3], Volpius [4], Brouckhuysius, Heynius pentametrum additum vel adulteratum judicant; imo Spohnius [5] vel hexametrum rejicit. Eo major enim in his versibus ambigendi materia præbetur, quod inveniuntur in libro cujus maximam partem Tibulli non esse contendunt. Douza igitur 690, Vossius 695 proponunt; sed cum *juvene*, quod verbum hominem viginti vel quadraginta annos natum significat, natalis ille non magis quam 711 congruit; Gruppius igitur et Teuffelius

1. III, 5, 17.
2. In Tibulli editione, Parisiis, 1577.
3. Id., Lugduni Batavorum, 1759.
4. Id., Patavii, 1738-1755.
5. *De Tibulli vita et carminibus disputatio*, Lipsiæ, 1819.

700 proferunt eorumque sententia maxime probanda videtur[1].

Quod vero ad vitam poetæ attinet, paucissima nobis indicia tradita sunt. *Vitas* duas habemus, quarum altera ignoti auctoris, altera Hieronymi cujusdam quem Sanctum Hieronymum esse voluerunt, sed nulla fide allata. Prior ita nos docet: « Ante alios Corvinum Messalam oratorem dilexit, cujus et contubernalis aquitanico bello (726-28, sq.) militaribus donis donatus est. » Nunquam poeta aut Augusti aut Mæcenatis mentionem facit. Ineunte vita, patrimonii quibusdam facultatibus usus esse videtur, de quibus ipse dicit :

Non ego divitias patrum fructusque requiro,
Quos tulit antiqua condita messis avo[2].

Et, si Messalæ panegyricus eidem, ut opinor, tribuendus est :

Nam mihi, cum magnis opibus domus alta niteret,
Cui fuerant flavi ditantes ordine sulci

1. Disputatio de natali poetæ invenitur in Hankelio, *De panegyrico in Messalam tibulliano*, p. 35, qui Gruppii et Teuffelii sententiam sequitur, et in Hartungio, *De panegyrico ad Messalam pseudo-tibulliano*, p. 1-5, qui Vossii computationem potiorem ducit.

2. I, 1, 41.

Horrea fecundas ad deficientia messes,
Cuique pecus denso pascebant agmine colles
(Et domino satis et nimium furique lupoque),
Nunc desiderium superest[1].

Bonis vero spoliatus, sine dubio cum agrorum largitiones a triumviris inter milites factæ sunt, rei familiaris partem, Messala forsan adjuvante, non multo post tempore recuperavit. Testis Horatius, qui in epistola[2] gratulabatur amico quod

divitias artemque fruendi

et

mundum victum non deficiente crumena[3]

rursus haberet; testis et poeta ipse, qui æquo animo recentiorem fortunam, etsi imminutam, accipit:

Me mea paupertas vitæ traducat inerti
Dum meus exiguo luceat igne focus.
. . . .
Vos quoque felicis quondam, nunc pauperis agri
Custodes, fertis munera vestra Lares!
. . . .
Parva seges satis est. . . . . .
. . . .
... Ego composito securus acervo
Despiciam dites despiciamque famem[4].

1. IV, 1, 183, sqq.
2. I, 4.
3. Ibid., 7 et 11.
4. I, 1, 5-6, 43, 77-78.

Cum Messala legatus in Asiam, circiter a. 732, profectus est, primo Tibullus se amicum secuturum esse negavit :

Te bellare decet terra, Messala, marique
Ut domus hostiles præferat exuvias.
Me retinent vinctum formosæ vincla puellæ[1].

Brevi tamen, consilio mutato, ad eum profectus est, sed, morbo in itinere oppressus, Corcyræ commorari coactus est, ubi pulcherrimam illam et tristissimam primi libri tertiam elegiam scripsit :

Ibitis Ægæas sine me, Messala, per undas,
O utinam memores ipse cohorsque mei :
Me tenet ignotis ægrum Phæacia terris :
Abstineas avidas, Mors, precor, atra manus[2].

Romam igitur reversus est, nec tamen supremam diem breviore post reditum tempore obiit; tres enim etiam annos eum, ut diximus, vixisse verisimile est mortuumque circiter a. 735. Ovidius amicorum querelas et desiderium expressit[3].

Præcipuum studium impendisse et omnem vitam in amore sentiendo et canendo consumpsisse Tibullus

1. 53-55.
2. I, 3, 1-5.
3. *Amores*, III, 9.

videtur. Tres illi amicæ fuerunt, quarum duas Ovidius memorat :

> Sic *Nemesis* longum, sic *Delia* nomen habebunt,
> Altera cura recens, altera primus amor[1].

Tertiam Horatius :

> Albi ne doleas, plus nimio memor
> Immitis *Glyceræ* neu miserabiles
> Decantes elegos, cur tibi junior
> Læsa præniteat fide[2].

In operibus poetæ, qualia ad nos pervenerunt, Nemesis et Delia magnum locum obtinent.

Quatuor libris opera illa constant. Quorum primus decem carmina continet, unum (septimum scilicet) de triumpho Messalæ, tria (quartum, octavum, nonum) de Maratho, pulchello quodam puero, quem poeta perdite adamat, quinque (primum, secundum, tertium, quintum, sextum) de prima poetæ amica, Delia, quam supra memoravimus; in decimo, Tibullus pacem celebrat et in bellum invehitur. Sex carmina secundus liber complectitur, poetæ et Nemesis amoribus addicta. Tertius, non Tibullo sed Lygdamo tribuendus, sex carminibus constat, quorum quinque Lygdami et Neæræ cujusdam amores enarrant, unum (quintum scilicet) epistola est ad amicos, in qua poeta, territus morte quam sibi instantem videt, miseram sortem

1. *Amores*, III, 9, 31, sqq.
2. *Od.*, I, 33, 2, sqq.

dolet et placare Persephonen conatur. Quartus denique, longe productissimus, quatuordecim carmina continet, quorum primum Messalæ panegyricus est. Octavum, nonum, decimum, undecimum, duodecimum Sulpiciæ et Cerinthi amores enarrant. Quæ carmina non a Tibullo sed ab ipsa Sulpicia, mea quidem sententia, scripta sunt. Tibullus idem argumentum vice sua suscipit et in secundo, tertio, quarto, quinto, sexto septimoque explicat. His adjiciendum est tertii libri carmen secundum quod in eadem materia versatur et amatoriam illam fabulam concludit. Tertiumdecimum denique et quartumdecimum versantur in amore poetæ erga puellam cujus nomen non profertur; quæ vero Glycera illa fuisse potest quam Horatius a poeta amatam esse nos docet et de qua in nullo alio totius operis carmine mentionem invenias.

Liber primus opus est non maximi adhuc poetæ, sed magnam sui eximia spe summi ingenii exspectationem facientis. Carmen de Messala mediocris artis est non naturæ; spiritus poetæ nimis angustus et quasi anhelans; nimius fabularium historiarum usus; confusa et dissoluta totius poematis conditio. In carminibus de Maratho, etsi fabulis nunc etiam redundent, loci communes nimio plures sint, multa aut incallida aut inconcinna se præbeant, magna tamen

in sententiis et in arte explicandi progressio facta est. Jam apparet sincerus et ingenuus ille amor qui Tibullo proprius et peculiaris est, et qui, etsi his in poematibus e fœda et nefanda cupidine oriatur, flebile nescio quid et ardens et suave spirat magnamque miserationem movet. Carmina vero de Delia, in unum coacta, summum poetam hinc jam maturum et suimet ipsius potentem testantur; ars ei major esse poterit, non majus ingenium : impetus amoris, dicendi faces, vices aut summi et ovantis gaudii aut demissæ mœstitiæ, tristitia, sententiarum et verborum lepor, quidquid in erotico poeta admirationem movere queat, jam in his non falsis fictisque sed veris eminent. Illum ab ipso poeta librum editum esse et gloriæ apud æquales non solum initium sed etiam quasi fundamentum fuisse verisimile est.

Quædam imperfecti operis signa haud dubia in secundo libro occurrunt. Non quod multis in partibus ars major non sit, sed poetæ extremum perpoliendis carminibus laborem adhibere non concessum est. Quem enim librum, ut videtur, extremis vitæ temporibus composuit, excepto quinto carmine, quod, etsi alii cuidam operi cohæreret, in hoc opus errore quodam colligentium admissum est. Verisimile est librum illum non ab ipso Tibullo formatum et editum, sed ab amicis post mortem poetæ.

Tertius, ut supra diximus, Lygdamo cuidam, non Tibullo, tribuendus est; in hoc omnes fere docti consentiunt[1]. Lygdamus ille, a. p. u. c. 711 natus[2], in amicis Tibullo erat, ut videtur, et, secundum Virgilii verbum, Musarum

ingenti percussus amore[3],

ad imitationem florentissimi his temporibus poetæ versus faciebat, qui Tibulli operibus deinceps adjuncti sunt. Quantum autem ab eo distat quem in exemplum sumpserat! Nunquam supra incallidam et operosam imitationem assurgere valet : ejus carmina nihil aliud sunt, ut nostri temporis verbum usurpem, nisi « amatoris » et « cultioris » opus. Quidam Lygdamum Ovidium, nomine mutato, esse contenderunt : cui rei totius operis conditio repugnat[4]. Ceterum omnino desunt indicia ad discernendum utrum verum an fictum nomen Lygdamus sit; id unum certum est servum fuisse Lygdamum nomine[5], nec illum amatoria hujuscemodi carmina scripsisse verisimile est. Lygdamum ergo quemdam e cœtu Mes-

1. Vid. supra, p. 5, n. 1.
2. III, 5, 17, sqq.
3. *Georg.*, II, 475.
4. Cf. W. Teuffel, *Studien*, p. 372-381.
5. In Propertio, IV, 5; V, 7, 35, 8, 37, 71 sqq.

salæ[1] habere possumus, cujus elegi, ad imitationem tibullianam compositi, poetæ jam mortui et ideo non repugnantis carminibus adjuncti sunt.

Quartus denique liber, magis politus quam secundus, non tamen totus ad absoluti et perfecti operis speciem perductus fuisse videtur. Nimio plures adhuc in eo maculæ apparent; multum abest ut, secundum Flacci præceptum,

sit simplex duntaxat et unum.

In eo enim tres partes plane dissimiles, ut infra dicemus, appositæ sunt, non conjunctæ; ne tenuis quidem ille filus cernitur quo partes operis vel dissimiles scriptor quisque nectere conatur. Denique argumentum plerorumque carminum, scilicet ad Sulpiciam et Cerinthum pertinentium, non sinebat Tibullum ea in lucem proferre. Credendum igitur illum librum non a poeta editum fuisse, sed ab eodem compositore qui secundum collegit.

Quis igitur compositor ille fuit? Qui fit ut Tibullus ipse pleramque operum partem non ediderit? Nam, si quædam sunt in quarto libro quæ pervulgare non potuerit et in secundo quæ non adhuc satis perfectæ

1. Fr. Haasius contendit eumdem esse Lygdamum ac Valerium Messalinum Messalæ filium. Vid. W. Teuffel, *Geschichte der Römischen Literatur*, 245, 4, translat. gall., t. II, p. 75.

viderentur, in utroque tamen magna satis supererat materies ad vel secundum librum ab ipso poeta conflandum.

Duæ illæ quæstiones facile expedientur, si perspexerimus quomodo poeta vitam egerit et quibus amicis familiariter usus sit.

Tibullus, a prima juventute, in fidem et præsidium Messalæ, ut vidimus, acceptus fuerat. Messala non solum præstantissimum in civitate locum obtinebat, sed etiam litteris favere gloriabatur et circa se poetarum societatem instituerat. Tibullus, in eam societatem receptus, pleraque carmina favente Messala edidit, cui pium grati animi pignus poeticis laudibus, sæpius iteratis, solvebat.

M. Valerius Messala Corvinus a. u. 790 natus est [1]. Athenis, ut mos erat, studuit et, interfecto Cæsare, quamvis Urbe abesset, in tabulis proscriptionum adscriptus est. Quamvis mox ejus nomen motum sit, tamen cum Bruto et Cassio arma gessit, « proximus eorum auctoritati [2] .» Post prælium apud Philippos, ad Antonium se convertit, sed, ejus agendi ratione defatigatus [3], in gratiam rediit cum Octaviano [4], qui

1. Ambigitur etiam de natali Messalæ. Vid. Hankel, p. 6, et Teuffel, *Geschichte*, 222, 1, translat. gall., t. II, p. 18.

2. Vell. Pat., II, 71, 1.

3. Plin., *H. N.*, XXXIII, 3, 14.

4. App., *B. C.*, IV, 38.

eum benignissimo animo accepit, ejus opera sæpe usus est substitutumque consulem in locum Antonii fecit [1]. Semper Octaviano addictum se Messala præstitit, sed tamen, sine obsequio fidus, prioribus amicis non defuit [2]. Legatus in Galliam missus, Aquitanos apud Atacem eodem die quo natus erat fudit [3] triumphumque reportavit [4]. A. u. 729, « primus præfectus urbis factus, sexto die magistratu se abdicavit, incivilem potestatem esse contestans [5]. » Postquam curator aquarum fuerat [6], in senatu, a. 752, patris patriæ cognomen Augusto, mandantibus cunctis senatoribus, detulit [7].

Inter Romanos oratores eximium locum Messala obtinebat. Jam a. 711, Cicero eum « eloquentia mirabiliter » excellentem, « gravi judicio multaque arte » præditum dicebat, se exercentem « in verissimo genere dicendi, » « tanta autem industria tantumque in studio evigilantem, ut non maxima ingenio gratia habenda » videretur [8]. In arte scri-

1. Nipperdey, *Rhein. Mus.*, XIX, p. 282-288.
2. Plut., *Brut.*, 53; App., *B. C.*, IV, 38.
3. Tib., I, 7.
4. Ex Gallia, 727, a. d. VIII cal. oct.
5. S. Hyeron., *Chron. ad a. Abr.*, 1991; cf. Tac., *Ann.*, VI, 11.
6. Front., *Aqu.*, 99.
7. Suet., *Aug.*, 57.
8. *Ad Brut.*, I, 15. — De Messalæ eloquentia, vid. testimonia a Teuffelio collecta, *Geschichte*, 222, 2, translat. gall., t. II, p. 19.

bendi etiam se exercuit; multas orationes græcas in latinum vertit[1], græca quoque lingua idyllia ad exemplum Virgilii composuit[2] et ideo inter amatorios poetas annumeratus est[3]. Videtur etiam commentarios de bello civili scripsisse[4], necnon de verbis et litteris libellos[5].

Non mirum igitur ut doctissimus ille vir circa se quasi cœtum frequentem poetarum et litteratorum virorum egerit, quibus faveret et quos confirmaret et proveheret; eo magis quod illa litterarum tutela civili cuidam disciplinæ et agendi rationi congruebat. Jamdudum enim apud Romanos optimatibus mos erat non solum litteris favere sed etiam in his versari[6]. Qui principem in republica locum Augusti tempore obtinebant, non solum doctioribus viris

1. Quintil., X, 52 : « Adeo ut etiam cum illa Hyperidis pro Phryne difficillima Romanis subtilitate contenderet. »
2. Virgil., *Catalecta*, II, 13-24.
3. Plin. jun., *Ep.*, V, 3, 5.
4. Vid. Teuffel, *Geschichte*, 222, 3, translat. gall., t. II, p. 19.
5. Id., ibid. — Cf. de Messala D. G. Moller, *Disputatio de M. Valerio Messala Corvino*, Altorf, 1689; C. Van Hall, *M. Val. Mess. Corv.*, Amstelodami, 1820, 2 vol.; L. Wiese, *De M. Val. Messalæ Corvini vita et studiis doctrinæ*, Berol., 1829; J. M. Valeton, *M. Val. Mess. Corvinus*, Gröningen, 1874; Haakh, in Pauly, *Real; Encyclopädie der class. Alterth.* L. Fontaine, *De M. Val. Messala Corvino*, Versaliis, 1878.
6. Vid. Teuffel, *Geschichte*, 219-222, transl. gall., t. II, p. 1-20; et L. Friedlænder, *Darstellungen aus der Sittengeschichte Roms.*, Lipsiæ, 3 vol., 1862, sqq., lib. X, translat. gall. Ch. Vogel, *Mœurs romaines du règne d'Auguste à la fin des Antonins*, t. IV, p. 40, sqq.

familiariter utebantur, sed etiam inter eos annumerabantur. Augustus ipse et in prosa et in versu scriptitabat; acta componebat et ab eo scriptæ litteræ vulgatæ et diu circumlatæ fuerunt. Mæcenas, qui doctiores ut ad Cæsarem adduceret benigne accipiebat, in oratione et in versu eminebat putido quodam dicendi genere nec quidquam ei antiquius erat quam ut maxima cura carmina componeret. Agrippa, « rusticitati propior quam deliciis, » « magnificam » tamen « et maximo civium dignam de tabulis omnibus signisque publicandis » orationem edebat [1]. Multi quoque proceres erant, extra reipublicæ gubernatores, Cæsari non obnoxii, quin imo repugnantes, qui litteratorum amicitiam affectarent. Inter eos maxime Pollio eminebat, qui, disertissimus orator, postquam eloquentia « pacata » fuerat, publicas *recitationes* instituit, quæ, magno favore exceptæ, in vulgarem consuetudinem paulatim venerunt. Multis in ædibus privatis disposita sunt auditoria, subselliis in modum theatri instructa, in quæ dominus amicos ad audienda sui ipsius vel aliorum opera per libellos accebat. Aprili vel augusto mense « nullus fere dies erat quo non recitaret aliquis [2]. » Cum libri magno constarent, poetæ præsertim, laudis stu-

1. Plin., *H. N.*, XXXV, 9, 26.
2. Plin. jun., *Epist.*, I, 3; cf. Juven., III, 9.

diosissimi, his lectionibus utebantur ut carmina ederent, et qui auditorium habebat simul frequentem poetarum cœtum circa semet ipsum stipare poterat[1].

Inter Messalæ familiares annumerabantur, præter Tibullum, Pedius Publicola, Messalæ frater, Æm. Macer Veronensis, Virgilii amicus[2], qui ad imitationem Nicandri poemata componebat[3], C. Valgius Rufus, consularis et Horatii amicus[4], « eruditione spectatus[5], » qui non solum elegos et epigrammata, sed etiam « res per epistolam quæsitas[6] » scribebat et Apollodori Pergamensis de rhetorica opus in latinum vertebat[7]. Cujus poetica facultas in cœtu plurimi fiebat, testes hi Tibulli versus in panegyrico Messalæ, non sine nimio illo favore quo in laude poetæ et amici uti solent :

Est tibi qui possit magnis se accingere rebus
Valgius, æterno propior non alter Homero[8].

1. De *recitationibus* apud Romanos, vid. D. Nisard, *Études sur les poètes latins de la décadence*, *Stace*, edit. tertia, t. II, p. 320, sqq., et G. Boissier, *l'Opposition sous les Césars*, p. 85, sqq.
2. Serv., *Ad Virg. Ecl.*
3. Cf. Teuffel, *Geschichte*, 223, 6, translat. gall., t. II, p. 21.
4. Porphyrio, *Ad Hor. Od.*, II, 9.
5. Plin., *H. N.*, XXV, 2.
6. A. Gell., XII, 3, 1.
7. Cf. Teuffel, *Geschichte*, 241, translat. gall., t. II, p. 69-70, et vid. Horat., *Od.*, II, 9 et *Sat.*, I, 10, 82.
8. IV, 179-180.

Annumerabantur etiam cum auctor illius poematii quod *Ciris* inscribitur quodque falso Virgilio in operibus attribuitur[1], tum P. Ovidius Naso, tum Lygdamus ille, de quo supra diximus, multi sine dubio alii quorum nomina propter ingenii et operum tenuitatem ad nos non pervenerunt.

Hoc in cœtu Tibullus solito romanorum poetarum Augusti temporibus more carmina edidit, scilicet prius amicis in intimo et arctiore concilio, post in frequentiore auditorio recitavit, collecta denique librariis tradidit ut proponerentur.

Poeta ipse primum tantummodo operum librum, ut diximus, edidit, et, post ejus mortem, quidam e cœtu, Messala fautore, ut Haasius suspicatur[2], carmina adhuc inedita collegit et publicavit. Certum quidem editoris nomen affere non possumus; vice sua F. Hankelius Lygdamum ipsum illud editoris munus suscepisse conjicit[3]. Quidquid est, non multa cura rem editor perfecit neque carminis cujusque fidem recognovit. Multa sine dubio quæ Tibulli non erant, — inter quæ, si forte Hankelii conjecturam accipiamus, versus a semet ipso conditos, et quos proprio nomine edere vel non audebat vel nolebat, —

1. De *Ciri*, vid. Teuffel, 230, 5, 2, translat. gall., t. II, p. 40-41.
2. *Annal. crit. Berol.*, a. 1837, p. 34.
3. *De panegyrico in Messalam tibulliano*, p. 27.

Tibullo tribuit. Nec mirum tali modo rem sese habuisse, nam apud recentiores, sicut apud antiquos, nonnulli libri exstant simili ratione conflati. Quorum exemplum tantum proferam *Catalecta* illa, quibus Virgilii nomen, etsi multa Virgilio plane abjudicanda, inscribitur [1].

Quæ mea sententia Tibullo tribuenda viderentur, quæ non dixi. Quod ad quartum librum attinet, tres in eo partes distinxi, scilicet :

1° Messalæ panegyricus;

2° Carmina de Sulpiciæ et Cerinthi amoribus, quorum pars a Sulpicia ipsa, pars a Tibullo composita ;

3° Carmina de quadam amica, quæ Glycera sine dubio fuit.

Tres illas partes ex ordine recognoscam.

1. Similiter apud nos actum est, præsertim recentiore sæculo. Fuerunt his temporibus cœtus et circuli, quibus intererant vel docti vel nobiles vel cultiores viri; sæpius sub nomine unius e cœtu aut sub ficto quodam titulo poemata, historiæ, etc., in publicum edebantur, quibus multi manum adhibuerant. Proferre sat erit lepidissimam illam societatem dictam *Société du Bout-du-Banc*, cui præerat celeberrima mima, « Mlle Quinault, » et quæ proferebat *les Étrennes de la Saint-Jean, le Recueil de ces Messieurs*, etc. Quin imo sub nomine unius e cœtu, « le comte de Caylus, » edita sunt permulta carmina et opuscula, *les Œuvres badines de M. le comte de Caylus* (Parisiis, 1787, 12 vol. in-8), quorum minima pars supposito auctori tribuenda est.

CAPUT II

PANEGYRICUS MESSALÆ. — RERUM DISTRIBUTIO. — SEPTIMA PRIMI LIBRI ELEGIA DE MESSALÆ TRIUMPHO. — DUO ILLA CARMINA A TIBULLO ADHUC IMPERITO COMPOSITA ESSE [1].

Carmen cui Messalæ panegyricus titulus est, versibus hexametris scriptum est; nec aliud hujus generis in omnibus Tibulli operibus invenitur: reliqua omnia elegi sunt. Multum abest ut perfectum se præbeat; peccat maxime et claudicat in eo ars partes disponendi et explicandi; jejunum simul et redundans,

1. Inter varia opera, quæ supra (p. 2-4) memoravi, maxime mihi usui fuerunt in hoc capite scribendo W. Teuffel, *Studien und Charakt.*, p. 352-355, et F. Hankel, *De panegyrico in Messalam tibulliano dissertatio.* Hæc præsertim, argumentis referta arctissime et aptissime inter se junctis, pressa quadam et dialectica disserendi ratione insignis, quæstionis summam ad ultimum contrahere mihi videtur. Hankelium minutius redarguere et totam ejus disputationem retexere H. Hartungius conatus est in dissertatione *De panegyrico ad Messalam pseudo-tibulliano*, sed illud inceptum secus processit; Hartungii argumenta altius petita et fusius explicita Hankelii opinionem confirmant nedum labefaciant.

magis artificium quam poeticam indolem testatur, ac rude præsertim et plane imperitum. Legenti videre videtur juvenem quemdam, vix e rhetorum officina egressum, vires experientem nec imbecillitatis suæ conscium.

Quare igitur multi inter doctos illud Tibullo, velut tanto viro plane indignum, abjudicaverunt tironisque cujusdam poetæ opus esse contenderunt. Sunt etiam qui censeant illud carmen ab ignoto quodam posterioris ætatis poeta ingenii exercendi causa conscriptum.

Antequam eorum opiniones inspiciamus, pauca de ipso poemate dicenda sunt. In quo res ita sunt distributæ :

1–17. Laudes Messalæ canere aggressus poeta, primum ingenii tenuitatem excusat. Sed voluisse sat erit : dii mortalium munera non dedignati sunt; sic quoque Messalæ parvus labor gratus erit.

18–27. Alter quæ seu in cælo sive in terris mirabiliter accidant describat; ipse omne ingenium Messalæ vovet.

28–44. Primo igitur Messalæ gentis laudem memorat; quam vero ipse Messala propriis laudibus superat. Nemo vel in castris vel in foro majora gessit; velut libra, utraque lance æqua, par ejus laus est domi militiæque.

45-81. Messalam igitur cum Nestore et Ulysse comparat, et, Ulyssis mentione facta, in errores ejus fusius evagatur.

82–97. Excellit Messala castrorum delectu et mutatione.

98-117. Scientiæ militaris rationem atque ordines novit; partæ ab eo victoriæ in Iapydia Pannoniaque et Illyria.

118-135. Ex auspiciis consulatus cal. jan. a. u. c. 723 suscepti majorum rerum omina poeta suspicatur.

Hi versus, præsertim illud verbum *modo*, tempus indicant quo carmen scriptum est :

> Nam *modo* fulgentem Tyrio subtegmine vestem
> Indueras oriente sole duce fertilis anni[1].

136–151. Enumerantur ergo regna ac gentes ex quibus triumphos Messala habiturus est.

152-176. Inde incidit poeta in descriptionem orbis terrarum diversarumque ejus plagarum sub diversis cœli partibus.

177-189. Inde iterum tenuitatem virium excusat, etiam ex languore animi adversis casibus fracti : magnarum enim opum, quibus olim domus nitebat, desiderium tantum superest.

1. IV, 1, 121-122.

190-211. Addictum tamen se Messalæ in perpetuum profitetur; vel mortuus, vel, mutata forma, equus factus taurusve aut avis, semper Messalæ laudes canet.

Pauca quidem sunt quæ ex illo carmine de persona poetæ colligere possimus : adolescentulum quemdam videmus, qui, tota pæne re familiari spoliatus, sine dubio cum triumviri agros inter milites partiti sunt, circiter annos 712 aut 713, veritusque ne in simile rerum discrimen (quod anno 723 imminebat) vocetur, Messalæ hujus anni consuli facto se commendare conatur, ut id retineat quod e pristina calamitate servaverat amissamve partem recuperet.

Occurrit vero in primo Tibulli libro elegia, septima scilicet, quæ Messalam quoque celebrat et quæ, ut e carminis conditione cernitur, anno 727 scripta est. Poeta enim Messalæ triumphum, qui eo anno actus est, laudibus extollit [1]. Accurate legenti arctissimo vinculo illam elegiam cum panegyrico cohærere manifestum est. Cum præterea ab omnibus doctis viris Tibullo sine dubitatione tribuatur, eam quoque inspiciamus; forsan nobis lumen quoddam de panegyrico afferre poterit :

1. Fasti triumphales : « M. Valerius M. f. M. n. Messala Corvinus procos. ex Gallia VII. c. oct. a. DCCXXVII. »

1-6. Natali Messalæ die Parcæ cecinere illum fore qui Aquitanos vinceret et de eis triumpharet.

7-12. Poeta comite duci honos ille partus fuit.

13-28. Multa quoque cum gloria in Asia et Ægypto Messala bellavit.

29-48. Inde in longum de Osiridi, Ægyptiorum deo, excursum poeta evagatur.

49-54. Osiris igitur ipse veniat ut Messalæ triumphum vino et ludis concelebre.

55-64. Omnia Messalæ bona poeta precatur: proles patre digna ei succrescat ; de viæ quam munivit monumentis nunquam taceatur et ejus natalis multos per annos celebrandus veniat.

Mea quidem sententia, duobus illis carminibus collatis, sententia eorum qui panegyricum a Tibullo compositum contendunt validissimo argumento firmatur. In utroque enim eædem virtutes, eadem vitia eminent, etsi non pariter, elegia enim panegyrico potior est. Primum ductus et forma in utroque inæquabilia sunt et confusa, partes nunc decurtatæ, nunc fusiores, inter se non conveniunt nec cohærent. Etenim, cum carminis argumento, scilicet laudi Messalæ, minorem locum poeta tribuat, omni tempore tum ad narrandum, tum ad describendum digreditur; geographicam scientiam inprimis ostentare cordi habet. Hinc enim Ulyssis errores, illinc cultus Osiridis,

hinc regionum, illinc populorum enumeratio, hinc libræ, illinc sacrificii descriptio majorem totius carminis partem obtinent et tenuissimo filo argumento juncta sunt.

Quod ad scribendi artem attinet, in utroque poeta imperitum se et lævum præbet; multa sunt verba non propria, nunc nimis certa, nunc incerta; oratio interdum exilis, interdum redundans; verborum circuitus incondite sæpius vertitur. Ars versuum pangendorum iisdem vitiis peccat; sunt enim carmine in utroque verba inania, ad numerum tantum necessaria; multa asperius sonant.

Nec tamen desunt omnino ingenium et spiritus; occurrunt interdum versus optimi, qui magnum poetam in futurum denuntient; sunt etiam verba maxime idonea, concinnæ imagines, quæ velut igniculi interdum niteant. Quæ omnia rarius in panegyrico, sæpius in elegia apparent; in hac enim poeta, quatuor annis exactis, in arte progressus erat, non multum quidem, nam Messalæ comes in Gallia, totum arti poeticæ se dare non potuerat; videre est tamen illum jam et sententiarum et verborum et versuum magis compotem. Si igitur Tibullo panegyricum abjudicaveris, non est causa cur eidem elegiam tribuas.

Multi tamen, ut diximus, docti viri fuerunt qui

panegyricum, ut plane indignum, poetæ detraherent; inter quos Heynius, Bachius, Weichertius, Paldamus, Dissenus, Hertzbergius, L. Muellerius, F. Teufelius.

Heynius[1] primum carmen illud a rhetore quodam posterioris ætatis fictum exercitationis causa et deinceps a librario, ut paginas aliquot compleret, inter Tibulli carmina receptum suspicatur. Weichertius[2], Heynii sententiam amplexus, Valgii commemoratione[3] ut epici poetæ opinionem tuetur et contendit auditum esse a rhetore Valgium quemdam poetam Messalæ et Tibulli temporibus exstitisse eumque nomen illud in ficto carmine adhibuisse ut similitudinem quamdam et quasi veri colorem operi daret. Paldamus[4] ad Tibullum accedere omnino vetat eum qui panegyrici versus 25-27, 85–90, 201 usque ad finem[5] a Tibullo

1. *Observat. et indic. in Tibull.*, p. 318, sq.
2. *Poetarum latinorum reliquiæ*, p. 214.
3. IV, 1, 180.
4. *In Eroticis romanis*, a. 1833, p. 51-52.
5. 25-27 :

Seu tibi par poterunt seu, quod spes abnuit, ultra
Sive minus (certeque canent minus), omne vovemus
Hoc tibi, nec tanto careat mihi carmine charta.

85-90 :

Quemve locum ducto melius sit claudere vallo,
Fontibus ut dulces erumpat terra liquores,
Ut facilisque tuis aditus sit et arduus hosti,
Laudis et assiduo vigeat certamine miles.

scriptos esse vel suspicari possit. Bachius [1], Dissenus [2], Hertzbergius [3] quinque res, sic ab Hankelio [4] breviter repetitas, objiciunt : « Primum nimia et pæne servilis modestia ; deinde nimia adulatio et inepta laudis exaggeratio ; tum malus usus doctrinæ ; post prava rerum distributio ; ad extremum mala indoles orationis. »

Si hæc omnia objecta in universum æstimemus, respondere possimus hac sententia quam idem Hankelius tali ferme modo enuntiavit : « In eo nonnulli haud recte judicare mihi videntur, quod obliti quæ sit rerum humanarum conditio, nimiaque antiquitatis

> Quis tardamve sudem melius celeremve sagittam
> Jecerit aut lento perfregerit obvia pilo.

201 ad finem :

> Quod tibi si versus noster, totusve minusve,
> Vel bene sit notus, summo vel inhæreat ore,
> Nulla mihi statuent finem te fata canendi.
> Quin etiam mea cum tumulus contexerit ossa,
> Seu matura dies celerem properat mihi mortem,
> Longa manet seu vita, tamen mutata figura
> Seu me finget equum rigidos percurrere campos
> Doctum seu tardi pecoris sim gloria taurus
> Sive ego per liquidum volucris vehar aera pennis,
> Quandocumque hominem me longa receperit ætas,
> Inceptis de te subtexam carmina chartis.

1. *Epistola critica in Tibullum, Pseudo-Tibullum et Propertium*, Gothæ, 1812.
2. Comment. in Tibulli eleg., in supplemento edit. quartæ Chr. Heynii et F. Wunderlichii, Lipsiæ, 1817-1819.
3. *Hallische Jahrbüch.*, 1881, t. I, 1009, sq.
4. *De panegyr. in Mess. tibull.*, p. 15.

æstimatione perducti, omnia fere veterum scripta, quæ ad nostram ætatem pervenerunt, perfecta atque omnibus numeris absoluta esse voluerunt. Hac autem nimia ingenii et virtutis veterum admiratione factum est, ut nonnulli, si quid imperfecti vel vitiosi eorum virorum nomine ferebatur, quos propter reliqua scripta negabant satis unquam laudari posse, statim id falsum esse indicarent ac scriptori eriperent[1]. » Haud aliter de panegyrico se res habet. Omnia quæ Heynius et ceteri objiciunt, non vetent, etsi recte objicerentur, quominus carmen Tibullo tribueretur, nam omnia illa vitia ab juvenili poetæ ætate excusare queas.

Quæ tamen vel recte non objecta, vel nimis aucta, ut plane monstraverunt Scaligerius[2], Volpius[3], Huschkius[4], Vossius[5], W. Teuffelius[6], F. Hankelius[7]. Quorum vestigia secutus, argumenta quibus panegyricus vere tibullianus dici potest breviter contrahere conabor.

Heynii primum conjectura, cum in disquisitione

1. *De paneg. in Mess. tibull.*, p. 3.
2. Comment. in Tibullum, Parisiis, 1577.
3. Id., Patavii, 1738-1755.
4. Id., Lipsiæ, 1819.
5. In præfatione translat. german. Tib. carminum.
6. *Studien und Charakt.*
7. *De paneg. in Mess. tibull.*

ponitur, minime accipienda apparet. Si enim in rhetoris schola adolescens quidam, se exercendi causa, quemdam Augusti amicum sibi, ut mos erat, laudandum proposuisset, materiem certe adeo exilem haud elegisset, dum tot illis temporibus viri exstitissent quorum vita multo largiorem laudatori præberet. Nempe Messala, etsi sua ætate præstantissimum in civitate locum obtinuerit, tamen haud annumerari potest inter summos illos viros qui, ob egregie facta, laudibus facile extolluntur et quos ob eam causam adolescentuli, cum rhetoricæ student, eligunt. Sit tamen ut adolescens ille Messalam delegerit, novitatis et insolentiæ cupidine quadam ductus : num verisimile est illum nullam fecisse mentionem rerum laude dignarum quas Messala post a. 723 gessit? Non solum ab eo facta non memoravisse, sed etiam quæ non facta sunt auguratum esse, scilicet Messalam in Gallia, Hispania, Ægypto bellavisse et Persas, Parthos, Britannos in romanam potestatem redegisse?

Nec magis conjici potest rhetorem sibi proposuisse juvenem quemdam, bonis fortunisque orbatum, auxilium a Messala ut redderentur postulantem. Magis enim vel Mæcenas, vel Agrippa, vel ipse Octavius deligendus erat, major enim erat, non solum ad ingenium exercendum materia, sed veri species. Si vero Tibullum ipsum in scenam rhetor producere

voluisset, non usus esset heroico versu, quem Tibullus, panegyrico sublato, nunquam adhibuit, sed elego. Denique non ita male Tibulli consuetudines usumque rerum et verborum imitatus esset, ut carmen Tibullo hanc ipsam ob causam negaretur quod tibulliana dicendi ratio nusquam in panegyrico appareat.

Argumentum vero quod Weychertius[1] e Valgi commemoratione trahit, facillime quidem refellitur. Non Valgium certe inter epicos poetas qui inter amicos Messalæ annumerari poterant rhetor delegisset, sed Virgilium vel Ovidium.

Quod ad modestiam poetæ, quam pæne servilem esse contendunt, attinet, hanc quidem nimiam Hertzbergius et ceteri faciunt. Modestia enim illa, quæ in versibus 1-17, 24-27, 177-178, 197-203[2] apparet, poetam tantum adhuc rudem testatur,

1. *Poetarum latinorum reliquiæ*, p. 214.
2. 1-17 :

Me cognita virtus
Terret ut infirmæ valeant subsistere vires.
A meritis si carmina laudes
Deficiant, humilis tantis sim conditor actis,
Nec tua præter te chartis intexere quisquam
Facta queat, dictis ut non majora supersint.
Est nobis voluisse satis, nec munera parva
Respueris. Etiam Phœbo gratissima dona
Cres tulit..... etc.
His quoque sit gratus parvus labor, ut tibi possim
Inde alios aliosque memor componere versus.

24-27 :

At, quodcumque meæ poterunt audere Camenæ,
Seu tibi par poterunt...... (etc, vid. sup. p. 31, n. 6.)

viribus suis diffidentem veritumque, dum sibi Messalæ gratiam conciliare studet, ne nimia fiducia offendat. Quum totum se illi in versibus 197-200 deditum fore prædicit, juvenili more promissa exaggerat, non secus ac Virgilius post prima beneficia ab Octaviano accepta[1]. Talis erat his temporibus omnium poetarum modestia et humilitas erga principem et potentes, nec Virgilio propria judicanda est. Simili ratione « nimia adulatio et inepta laudis exaggeratio » excusanda sunt. Panegyrici scriptor veritatem in Messala celebrando certe egressus est; sed laudes conferre panegyrici proprium. Plane quidem congruebat cum ætatis consuetudine quam Flaccus, Virgilius, Ovidius Propertiusque erga Octavium sequebantur. Hertzbergius [2] fieri posse negat ut qui panegyrici versus 181-189[3], flebilibus precibus re-

177-178 :

> Non ego sum satis ad tantæ præconia laudis,
> Ipse mihi non si præscribat carmina Phœbus.

197-203 :

> Sum quodcumque, tuum est. Nostri si parvula cura
> Sit tibi, quanta libet, si sit modo, non mihi regna
> Lydia, non magni potior sit fama Gylippi,
> Posse Meleteas nec mallem vincere chartas.
> Quod tibi si versus..... (etc., vid. supra, p. 32.)

1. *Bucolic.*, I, 6-10, 43-46, 60-64.
2. *Hall. Jahrbüch.*, 1831, t. I. 1009, sq.
3. Languida non noster peragit labor otia, quamvis
Fortuna, ut mos est illi, me adversa fatiget.
Nam mihi, cum magnis..... (etc., vid. supra, p. 9-10.)

dundantes scripserit, verecundus sit ille Tibullus qui divitias semper contempsit. Hertzbergio Hankelius[1] aptissime opponit aliud esse tantum habere quantum ad vitam degendam sufficiat, aliud habere nihil. Fatemur in fine carminis[2] æque desiderari judicium, modum et animi robur; omnia illa animalia quorum formam, ut ita dicam, poeta antecapit nobis fastidium movent. Sed, ibi Tibullus, ut Teuffelius rectissime animadvertit[3], immodice utitur ratione quadam sensus exprimendi quam sæpissime adhibuit; scilicet ei solitum cogitationes quæ non sensu sed mente cernuntur corporeis simulacris interpretari. Multis in locis carminum ejus[4] rationem illam æque insolentem et injucundam deprehendere est.

De usu doctrinæ, scilicet zonarum descriptione et Ulyssis erroribus[5], non opus est ut poetam adolescentiæ excusatione defendamus. Tibullus enim, postquam in ingenio et in arte progressus est, studium illud non deposuit. Perlustranti enim tibullianas elegias permulti loci apparent in quibus fabulam poeta

1. *De panegyrico in Mess. tibull.*, p. 19.
2. Seu matura dies celerem properat mihi mortem
 Longa dies seu..... (etc., vid. supra, p. 32.)
3. *Stud. und Charakt.*, p. 354.
4. Cf. I, 1 et 10; II, 1 et 3, II, 4.
5. I, 1, 52-81; 152-176.

vel leviter vel uberius tetigit[1]; jam antea in septima prima libri elegia fusiorem excursum de Osiridi et Baccho notavimus.

Res interdum prave dispositas et distributas et orationis explicationem huc illuc incondite fluctuare fatemur; multa etiam fatemur incerta nec exacta in oratione se offerre. Quæ vero juvenili imperitia excusemus. Etsi Bachius[2] « τό *nam* mire frigere et sæpius redire[3], » Wiesius[4] conjunctionum copiam, F. Teufellius[5] « ergo » particulam parum poetico numero convenientem vituperent, hæc omnia « paucæ maculæ[6] » sunt, non vero magni momenti argumenta ut panegyricus Tibullo indignus habeatur. Primis in operibus poetæ cujusque similia occurrunt, nec multum ex rudimentis illis supersit, si quidquid frigidum et inconditum censores adiment. Tibullus in primis, ut Teuffelius[7] recte notavit, non inter illos poetas annumerandus est qui merum et sincerum

1. Cf. I, 2, 40, 51-52; 3, 35, sq., 58-80; 4, 25-26, 37-38, 63-64, 68-70; 5, 45-46; 7, 23-49; 10, 35-38; II, 3, 11-28; 4, 55-56; 5, 9-10, 15-70.

2. *Epist. critic.*, p. 35.

3. IV, 1, 28, 35, 45, 54, 107, 121, 151, 183.

4. Loc. sup. sig., p. 71.

5. *De Cat., Tib, Prop. vocibus singul. dissertatio*, Friburgi, 1872, p. 3.

6. Horat., *ad Pis.*, 351-355.

7. *Stud. und Charakt.*, p. 355.

ingenium a natura acceperunt. Multum arte et exercitatione est adjutus, nam ei poetica metalla summo solo se non offerebant; hæc contra e terræ cavernis multo labore excidebat et plurima scoria auro immixta supererat, donec excusor peritus evaderet.

Graviora sunt vel in carminis sententiis, vel in oratione, vel in arte metrica quæ tibulliani ingenii et indolis signa præ se ferant. Primum enim in versibus 161-174 et 183-187 [1] apparet illud vitæ rusticæ studium quod in plerisque Tibulli elegiis exprimitur. Multa sunt etiam in verborum usu similitudines, quæ, ab usu communi dicendique consuetudine remotæ, non casum sed ejusdem poetæ manum denuntient [2].

1. 161-174 :

> Non igitur presso tellus exsurgit aratro,
> Nec frugem segetes præbent nec pabula terræ :
> Non illic colit arva deus, Bacchusve Ceresve,
> Nulla nec exustas habitant animalia partes.
> Fertilis hanc inter posita est interque rigentes
> Nostraque et huic adversa solo pars altera nostro,
> Quas similes utrinque tenens vicinia cæli
> Temperat, alter et alterius vires necat aer :
> Hinc placidus nobis per tempora vertitur ann
> Hic et colla jugo didicit submittere taurus
> Et lenta excelsos vitis conscendere ramos,
> Tondeturque seges maturos annua partus,
> Et ferro tellus, pontus confinditur ære,
> Quin etiam structis exsurgunt oppida muris.

183-187 :

> Nam mihi, cum magnis..... (etc., vid. supra, p. 9-10.)

2. Plura exempla vid. ab Hankelio collecta, in *De panegyr. in Mess. tibull.*, p. 28-29.

Ars metrica, quamvis hexametro versu panegyricus, elegiaco cetera carmina utantur, in his et in illo leges easdem sequitur, ita ut L. Muellerius recte existimet[1] hexametrum elegiaco « ducem et magistrum » fuisse. Sunt denique in panegyrico dotes maxime tibullianæ, scilicet acumen quoddam in verborum delectu et compositione, plastica quædam in rebus effingendis solertia[2], quæ quidem, vel in minoris pretii locis, ut libræ vel diversarum orbis plagarum descriptio, non est contemnenda, nam poeta, cum artis compos factus erit, solertiam eamdem magis temperate et felicissime adhibebit.

Plane igitur incertæ sese præbent, et, ad finem, omnino cadunt variæ opiniones quas docti viri ad panegyricum incerto cuidam auctori transferendum excogitaverunt; nec ulla est quæ, si in disquisitione sedula ponatur, minime accipienda non videatur. Sunt contra in eo multa quæ jam magnum futurum poetam confirment; sunt etiam quæ cum ceteris Tibulli ipsius operibus præcipuam similitudinem ostendant. Itaque, quantum in loco adeo difficili, Messalæ panegyricum Tibullo tribuendum contendere ausim.

1. In edit. Tib. Copiosam vid. de arte metrica panegyrici disquisitionem in Hankelio, p. 30, sqq.

2. Cf. Teuffel, *Stud. und Charakt.*, p. 355.

CAPUT III

DE ELEGIIS INDE AB ALTERA USQUE AD DUODECIMAM QUARTI LIBRI. — QUÆ TIBULLO, QUÆ SULPICIÆ TRIBUENDA. — CERINTHUS. — SULPICIA [1].

Veniamus ad carmina inde ab altero usque ad duodecimum in quibus de Sulpiciæ amoribus agitur. In eadem materia versatur elegia secunda secundi libri et ideo huic quarti libri seriei jungenda esse videtur. In prioribus nomen invenimus Cerinthi cujusdam quem Sulpicia perdite amat; hæc vero Cornuti apud alios codices, Cerinthi apud alios nomen præbet, cumque amorem de quo agitur voti compotem ostendat, eumdem esse Cornutum et Cerinthum nos monet, scilicet Cornutum nomen verum, Cerinthum vero fictum et a Græcis adscitum. Quo mendacio suspicionem amotum iri amantes sperabant.

Inspicienti cuilibet hæc carmina, duas in illis se-

1. Cf. præsertim W. Teuffel, *Studien und Charakt.*, p. 360-365, et C. Ch. Knappe, *De Tibulli libri quarti elegiis inde ab altera usque ad duodecimam disputatio*, Duderstadt, 1880. De verbis et arte metrica uberius Knappius dicit.

ries esse manifestum est [1], appositas non junctas, priorem scilicet ab altero usque ad sextum, alteram vero a septimo usque ad duodecimum. Semel enim iterumque de iisdem rerum momentis agitur; quin immo manifestum est utramque non ab eodem poeta tractatam esse; nam longe dissimiles inter se sententiæ, oratio, ars versuum pangendorum apparent.

In secundo carmine, primo scilicet prioris seriei, eximia Sulpiciæ venustas laudatur. In tertio, poeta, Sulpiciæ nomine, ne quid Cerintho venanti accidat vota facit: amorem puella patefacit velitque ipsa per montes amantem sequi. In quarto Cerinthum videmus vice sua vota facientem ut ægrotans Sulpicia ad sanitatem quam brevissime redeat. In quinto Cerinthi formam Sulpicia laudat, mutuum amorem profitetur et dolere videtur quod Cerinthum quid optet palam dicere pudeat. In sexto denique, Junoni, ut votis faveat, puellam thus et liba offerentem poeta

1. Primus Gruppius carmina illa in duas partes dividenda esse contendit, in libro qui *Die romische Elegie* inscribitur, Lipsiæ, 1838, p. 47. Quæ nunc divisio ab omnibus doctis viris accepta est; eam tamen Knappius l. s. s. respuit et a Tibullo ipso carmina posterioris quoque seriei profecta esse censet, poetamque, « cum sibi proposuerit amorem Cerinthi Sulpiciæque mutuum carmine celebrare, priusquam elegias inde ab altera usque ad septimam scripserit, amorem illum adumbrasse, ea, quæ in amore illo magni erant momenti, in scheda breviter descripsisse. » (P. 43.) Argumenta quibus hanc opinionem tuetur levissima sunt.

ostendit; deam ipse precatur ne divellantur amantes, etsi mater studiosa natæ alium amorem jubeat.

Si nunc ad posteriorem seriem veniamus, Sulpiciam in septimo carmine videmus, expleto post longam exspectationem erga Cerinthum amore, gaudentem et « peccasse juvantem [1]; » in octavo mœrentem quod propter « invisum natalem [2] « rus se conferre debeat. In nono illud iter « ex animo sublatum » [3] et natalem suum Romæ celebrari posse amanti nuntiat. In decimo, invida et arrogans, Cerinthum objurgat quod majori curæ juveni sit « pressum quasillo scortum [4] » quam « Servi filia Sulpicia [5], » dum ille ignotus sit et vilis. In undecimo, febri laborans, amantem misericordem esse jubet; in duodecimo denique se excusat quod « stulta juventa [6] » amantem hesterna nocte, febrim dissimulare cupiens, solum reliquerit.

In elegia secunda libri secundi, non jam Sulpicia, sed Tibullus, ut videtur, Cornuti, scilicet Cerinthi, natalem celebrat. Non jam Cerinthus ignotus ille juvenis est cujus illicito amore Sulpicia flagrabat,

1. IV, 7, 9.
2. IV, 8, 1.
3. IV, 9, 1.
4. IV, 10, 3-4.
5. IV, 10, 4.
6. IV, 12, 3.

sed « Servi filiæ » conjux. Genius adest igitur, « honores visurus[1] : »

Adnuat et, *Cornute*, tibi quodcumque rogabis.
  En age, quid cessas? adnuit ille : roga.
Auguror, uxoris fidos optabis amores.
. . . .
Vota cadunt. Viden ut strepitantibus advolet alis
  Flavaque conjugio vincula portet Amor,
Vincula quæ maneant semper, dum tarda senectus
  Inducat rugas inficiatque comas.
Hac veniat natalis avi prolemque ministret,
  Ludat et ante tuos turba novella pedes[2].

Ex illo brevi indice, facile cernitur in priore serie explicari affectus qui antea in posteriore breviter expressi fuerant. Idem amor cum vicibus iisdem in utraque volvitur; verbi gratia, quartum carmen et undecimum in Sulpiciæ morbo, quintum et nonum in natali Cerinthi tractu eodem explicantur. Prior series poetam artis compotem et ingenium de aliena quadam amatoria fabula exercentem ostendit, posterior vero amore flagrantem puellam incondito sæpius sed inflammato versu sensus proprios exprimentem. Carmina ab septimo usque ad duodecimum, scilicet vere amatoriæ epistolæ, poetæ sine dubio mandata sunt, qui eas liberiore explicatione interpretatus est,

1. II, 2, 5.
2. II, 2, 9, sqq., 17, sqq.

nec tamen in publicum propria de eis carmina edidit, nam fabulæ persona, ut infra monstrabimus, puella quædam erat illustri genere nata. Post Tibulli mortem, quum jam sine detrimento illius de Sulpicia elegi vulgari possent, ab editore quarti libri prolati sunt ; quin immo puellæ ipsius epistolæ, velut documenta, sunt adjunctæ [1].

Plane tibullianam artem, non jam, ut in panegyrico Messalæ, rudem, sed optimam et exactam, prior series denuntiat. Ars enim illa, ut solitum, usu et exercitatione creverat. Elegi de Sulpicia tempore eodem scripti esse videntur quo carmina de Delia, vel non multo post [2] ; nam, præter rationem temporum, cura similis, pares virtutes in utrisque cernuntur. Ego quidem illos paulo inferioris ætatis, propter majorem quamdam excellentiam, esse puto. Etsi ex alienato Deliæ amore maximum dolorem poeta percepit,

1. Amoris illius testis et sine dubio conscius poeta fuerat; furtivo enim in propriis carminibus epistolarum sermoni alludit (IV, 6, 11-12):

> Nec possit cupidos vigilans deprendere custos
> Fallendique vias mille ministret amor.

2. Cf. W. Teuffel, *Studien und Charakt.*, p. 361 : « Verisimile est conscriptas esse illas elegias tempore quo amores cum Delia interrupti sunt nec adhuc incepti erant amores cum Nemesi et Glycera. Magna enim in illis cernitur muliebris ingenii scientia sed nullus proprius affectus; ars ibi *objectiva* est. » Vid. etiam infra p. 68.

fortior tamen et in arte præstantior ægritudine factus erat ejusque ingenium experimento invaluerat. Qualis sit mulierum et animus et indoles jam scit perite, quod omnino in primis carminibus ignorabat; cumque amorem jam non proprium sed alienum describat, tam liberum servat animum ut sensus, quos testis et conscius novit, penitus introspiciat et describat.

Series tamen posterior magis etiam nos movet delectatque, nam amorem ardentem et verum omissis omnino fucis ambagibusque, et ingenuam scribendi et versus faciendi artem ostendit. Multa quoque sunt vitia quæ imperitiam arguunt[1]. Carminum conditio sæpius haud concinna; versus nonnulli sunt male nati, duri; verba huc illuc inania; sunt etiam minus propria vel inurbana, vel obscura et incerta. Istius generis proferre sat erit *propinque*[2], *me* falso detractum [3], *iter ex*

1. Etsi, ut supra dictum (p. 42, n. 1), Knappius hæc carmina ab ipso Tibullo conscripta esse contendat, fatetur tamen (p. 41) : « Sermonem durum et impeditum esse. Sæpius inania verba, quibus pedes quodam modo compleantur, legi. Haud raro verborum constructionem esse incertam, veluti in elegia decima, ubi verba vix possint construi, quamvis de sensu enuntiationis dubitari nequeat. »

2. IV, 8, 6 :

> Jam, nimium Messala mei studiose quiescas,
> Non tempestivæ sæpe *propinque* viæ.

3. IV, 8, 8 :

> Arbitrio quoniam non sinis esse meo.

animo sublatum[1], quod jam antea notavi, *necopinanti*[2], *de me permittis*[3], *mea corpora*[4], etc. Præterea hujuscemodi carmina brevissima sunt. Non enim ante oculos poetam habemus sensus ficticios quieto animo exprimentem, sed mulierem vehementi ardore inflammatam cuique magis curæ est ut « calores » exprimendo animum soletur quam ut admirationem ingenio et arte moveat. Inest igitur his versibus mirabilis quædam affectus sinceritas; insunt quoque rudis poetriæ vitia et negligentia[5]; non tamen plane rudis, nam Tibullus « doctam » illam appellat[6], nec tali titulo indignam se præbet.

1. IV, 9, 1 :

   Scis *iter* ex animo *sublatum* triste puellæ.

2. IV, 9, 4 :

   Qui *necopinanti* nunc tibi forte venit.

3. IV, 10, 1-2 :

   Gratum est, securus multum quod jam tibi *de me*
   Permittis, subito ne male inepta cadam.

4. IV, 11, 2 :

   Quod *mea* nunc vexat *corpora* fessa color.

5. In prælectionibus quas supra memoravi, professor E. Benoist aptissime in Sulpiciæ versus conferebat sententiam bene notam nostri La Bruyère : « Si les femmes étoient toujours correctes, j'oserois dire que les lettres de quelques-unes d'entre elles seroient peut-être ce que nous avons dans notre langue de mieux écrit. » (*Des ouvrages de l'esprit*, § 37.)
6. IV, 6, 2 :

   Natalis Juno sanctos cape turis acervos
   Quos tibi dat tenera *docta puella* manu.

Quæ vero fuerit illa Sulpicia exquiremus. Brouckhuysius eamdem esse putat quam memorat Martialis :

Omnes Sulpiciam legant puellæ
Uni quæ cupiunt viro placere.
Omnem Sulpiciam legant mariti,
Uni qui cupiunt placere nuptæ.
. . . .
Cujus carmina qui bene æstimarit,
Nullam dixerit esse nequiorem,
Nullam dixerit esse sanctiorem [1].

De qua Ausonius magna cum libertate dicebat « prurire opusculum Sulpiciæ, frontem caperare [2]. » Carmina vero illa Caleni mariti nomen præferebant, nam memorat Sidonius Apollinaris « quod Sulpiciæ jocus Thaliæ scripsit blandiloquum suo Caleno [3]. » Quorum senarii duo versus exstant, et procacissimi, a Valla collecti [4].

Sulpiciæ præsertim nomen ferunt et eidem tribuuntur septuaginta versus hexametri, quibus *Sulpiciæ satira* titulus est. In his multo cum robore

1. X, 35, 1, sqq.; cf. id., 38, 1, sqq.
2. XIII, *Cento nupt.*
3. *Carm.*, IX, 262, sqq.
4. Schol. in Juven., VI, 537.

complorantur virtus et sapientia Roma detrusa a Domitiano,

qui rex Romanos imperat inter
Non trabe sed tergo, prolapsus et ingluvie albus [1],

qui vero, maximis instantibus odiis, mox periturus est [2].

Nullo modo hi versus, vel senarii vel hexametri, Tibulli Sulpiciæ tribuendi sunt; a carminibus enim de Cerintho longe differunt et sententiis et sermone.

Hanc quoque esse voluerunt Sulpiciam a Messala amatam, quæ in *Catalectis* falso Virgilio addictis memoratur :

Felicem ante alias tanto scriptore puellam !
Altera non fama dixerit esse prior [3].

Sed nihil in carminibus de Cerintho tale videmus; nuptiæ contra in elegia secunda libri secundi memoratæ huic assimulationi repugnant.

Quæ igitur vera Sulpicia? Nos docet S. Hieronymus [4] Valeriam, Messalæ sororem, nuptam esse filio

1. V. 35-36.
2. De Sulpiciæ satira et Sulpicia poetria, vid. W. Teuffel, *Geschichte der Römischen Literatur*, 323, 6, 7, translat. gall., t. II, p. 273.
3. XI, 23-24.
4. *Adv. Jovin.*, I, 46.

Servii Sulpicii jurisconsulti, qui inter Ciceronis amicos annumerabatur. Valeriæ igitur filiam, patris nomine Sulpiciam pro more dictam, nil vetat Sulpiciam illam fuisse quam quærimus et quæ familiariter Messala avunculo usa, ut in carminibus de Cerintho videre est[1], in poetico ejus cœtu versabatur. Præterea Sulpicium, Sulpiciæ patrem, verisimile est Servium illum fuisse, optimum judicem, cujus Flaccus laudem appetebat[2], quem Plinius inter eroticos poetas annumeravit[3], et cujus Ovidius «improba carmina[4]» esse dicebat[5]. Si patrem Sulpiciæ eum fuisse censeamus, nihil mirum quod aliquid simile in indole puellæ, ingenio, arte poetica, moribus denique superfuerit.

His dictis, fabulam inspiciamus quæ e carminibus vel Tibulli vel Sulpiciæ eminet; fabulam jucundissimam et magni momenti ad introspiciendos Romanos mores circa Tibulli ætatem. Si nostri temporis bene

1. IV, 8, 5, sqq. :

> Jam, nimium Messala mei studiose, quiescas
> Non tempestivæ sæpe propinque viæ.
> Hic animam sensusque meos abducta relinquo
> Arbitrio quoniam non sinis esse meo.

2. *Sat.*, I, 10, 94.
3. *Ep.*, V, 3, 5.
4. *Trist.*, II, 441.
5. Cf. W. Teuffel, *Römischen Literatur*, 242, 3; translat. gall., t. I, p.71.

notum titulum usurpare audeamus, fabulam illam « Apud Romanos pauperis cujusdam juvenis amores » dicere liceat.

Sulpicia prima ætatis juventute floret; forma eximia, nobili genere, ut ipsa non sine superbia prædicat[1], dives sine dubio, perdite amat juvenem quemdam, vultu insignem[2], cui multæ tepent, nam Sulpicia quod rivales habeat dolet[3], et qui forsan idem est de quo Flaccus dicebat :

> Nec magis huic, inter niveos viridesque lapillos,
> Sit licet, hoc, Cerinthe, tuo tenerum est femur [aut cru
> Rectius[4].

De illa mentione Orellius[5] notat Flacci satiram circiter 715 scriptam esse et quarti libri elegos circiter 730; dubium igitur ducit eumdem a duobus

1. Vid. supra, p. 43.
2. IV, 5, 2-3, 7-8.

> Te nascente novum Parcæ cecinere puellis
> Servitium et dederunt regna superba tibi.
> . . . .
> Mutuus adsit amor, per te dulcissima furta,
> Perque tuos oculos per Geniumque rogo.

3. Vid. IV, 10.
4. *Sat.* I, 2, 80, sq. Versus quidem haud faciles ad explicandum et sæpius in diversum torti. Textum sequimur a professore E. Benoist in prælectionibus datum.
5. In comment. de Horat., Turici, 1838.

poetis juvenem designari. Nostra sententia illud temporis intervallum non tam magnum est ut assimulationem respuamus. Suspicamur enim Cerinthum, circa 715, scilicet septemdecim annos circiter natum, in cultiorum hominum societatem admissum esse, et, brevi tempore inter lepidissimos juvenes annumeratum, similem factum esse Lycidæ illi,

> quo calet juventus
> Nunc omnis, et mox virgines tepebunt[1].

Post igitur multos amatorios triumphos, circa tricesimum ætatis annum, inter elegantissimos adhuc florebat, eo magis matronis et puellis appetitus, et, ut ita dicam, in pretio, quod ejus victoriæ magis notæ et multiplices fuerant. Tunc igitur, a Sulpicia adamatus, post furtivam cum puella consuetudinem, justis et lautissimis nuptiis tandem actis finem amatorio vitæ curriculo imposuit.

Cerinthus denique Sulpiciæ impar genere est et loco; inde impedimenta et nodi. Parentes enim puellæ oculis non æquis amorem vident, nam juveni scribit Sulpicia :

> Solliciti sunt pro nobis, quibus illa doloris,
> Ne cedam ignoto, maxima causa, toro[2].

1. Hor., *Carm.*, I,4, 19-20.
2. IV,10, 5-6.

Cerinthum voluerunt unum ex iis Græculis fuisse, qui Romæ his temporibus in procerum cœtus et consuetudinem se insinuantes, quæstum forma sæpius faciebant et amore velut optima ad opes via utebantur. Sed, accepta illa conjectura, haud facile has justas nuptias quæ aperte in elegia secunda secundi libri significantur admittere possumus. Romæ enim inter Romanam et Græcum matrimonia plane insolita et rara erant, Sulpiciaque, adeo nobili loco orta, tali conjugio deminuta fuisset. Nihil aliud inter Græcos et Romanas procerum mores admittebant nisi liberas conjunctiones, quæ quidem brevi tempore in vulgarem consuetudinem venerant. Multi e Græcis procerum in ædibus præceptores, procuratores, scribæ, opportunitate munerum usi, cum illa ingenii solertia quæ proprium gentis erat, filiarum vel matronarum primo conscii deinde amatores fiebant. Jam, finiente republica, Cicero lepide deridebat illos « mulierum assentatores, cognitores viduarum, defensores nimium litigiosos, contritos ad regiam, ineptos ac stultos inter viros, inter mulieres peritos juris et callidos [1]. » Multi quoque erant vel servi, vel libertini qui « dominam suam delectarentur [2], » obse-

1. *Pro Cæc.*, V, 14. Cf. Senec., *Controv.*, VIII, 20.
2. Petron., *Satir.*, c. XLV.

dentes et fidi, sæpius honestissimo loco ortis antenopebantur [1].

At unus ex iis Cerinthus fuisse non potest, nam de tali amatore Tibullus non dixisset :

Auguror, uxoris fidos optabis amores :
Jam reor hoc ipsos edidicisse deos [2].

Neque illud :

Hac veniat natalis avi prolemque ministret,
Ludat et ante tuos turba novella pedes [3].

Cerinthum igitur censemus fictum nomen fuisse, quo Romanus quidam velabatur juvenis, cujus verum nomen in tertia secundi libri elegia invenitur :

Aura meam, *Cornute,* tenent villæque puellam [4].

Similiter in secunda ejusdem libri elegia optimi codices [5], scilicet Eboracensis a Lachmanno A appellatus et ab Heinsio recognitus, necnon Parisinus 7989 (B in Lachmanno), denique editio ab Aldis a. 1502 data, idem nomen ferunt :

Adnuat et, *Cornute,* tibi quodcumque rogabis [6].

1. Cf. Friedlænder, *Darstellungen aus der Sittengeschichte Roms.*, lib. V, translat. gall., t. I, p. 361-363.
2. II, 2, 11-12.
3. II, 2, 21-22.
4. II, 3, 1.
5. Cf. M. Rothstein, *De Tibulli codicibus,* cap. II.
6. II, 2, 8.

Nomen *Cerinthus*, quod in eo loco italici codices ferunt, ex interpretatione quadam nunc inserta nunc expulsa ortum est; unde nominis illa diversitas. Sed ex ipsa diversitate unum atque eumdem Cerinthum et Cornutum fuisse inferre possumus.

At qui fit ut elegia illa secunda secundi libri se insinuaverit in librum omnino alienum et in quo rerum ordinem, scilicet Nemesis historiam, inopinata rumpit et moratur? Quia elegiam illam committere voluerunt cum tertia ejusdem libri quæ Cornuti quoque nomen præfert, quamvis ad Nemesis historiam pertineat.

Fieri tamen potest ut elegia illa secunda libri secundi ab ipso Tibullo huic libro adjuncta fuerit. Quartum librum post mortem poetæ a compositore quodam collectum et editum esse diximus. Tibullus, qui secundum librum non perfecerat sed ut ederet paraverat, inter sua carmina de Sulpiciæ amatore solum in secundo libro admiserat quod salva Cornuti reverentia, Messalæ tunc conjugio propinquus facti, edi poterat, scilicet de natali die gratulationem [1].

Quis vero Cornutus erat nunc requirendum. Nomen illud Romæ apud multas clarasque gentes inve-

1. Cf. Teuffel, *Studien und Charakt.*, p. 368.

nitur. Hirtio et Pansa consulibus, Marcus quidam Cornutus prætor urbanus fuit ejusque mentionem Cicero in epistolis facit[1]. Marci illius filius forsitan Sulpiciæ amator fuit et adeo nobili loco ortus erat ut in domum Messalæ admitteretur. Sed tamen nihil mirum quod humilior ad conjugium visus sit Messalæ, ab Augusto in summum fastigium erecto, necnon Sulpiciæ genti quæ adeo clara erat ut mox imperator ex ea ortus sit. Inde igitur verbum illud « ignoto toro[2] » quod Sulpicia, motu quodam invidiæ, amatori objicit.

Si nunc litteras inspiciamus, quas a Sulpicia ipsa scriptas ducimus, in his de romanarum mulierum moribus et ingenio primis principatus temporibus indicia magni momenti invenimus.

Sulpicia mulier est impotens et fervida, cujus indolem cultus proniorem in cupidines et freni magis impatientem effecit, nedum reprimeret. Etenim, apud procerum aut elegantiorum puellas cultus id tantum spectare videbatur ut jucunditatem et leporem explicaret, non ut informaret ad bonos mores. Magis atque magis relicta erat vetus illa disciplina qua matronæ quondam formabantur rigidæ et pudi-

1. *Ad famil.*, X, 12-16 : in senatu litteras Lepidi recitat. Cf. *Philipp.*, XIV, 14.
2. IV, 10, 6.

cæ, minus in oblectationem quam utilitatem instructæ, firmo animo, certo judicio præstantes [1]. Cum elegantiores mores et cultiores animi facti sunt, feminæ paulatim artibus eruditæ sunt quibus ingenium excitaretur et jucundæ magis blandæque fierent; hinc novæ et eximiæ dotes, hinc quoque pericula et mores magis atque magis inclinati. Litteris græcis et latinis studebant, cantare discebant, quin immo saltare, quod, priscis reipublicæ temporibus, « nemo fere sobrius » agere audebat [2], in cœtus et convivia admittebantur. Pædagogi et præceptores, plerumque græci generis, illas artes ingenuas et illustris ordinis puellas domi edocebant nec semper earum pudicitiæ et innocentiæ temperabant; videmus enim Qu. Cæcilium Epirotam, Attici libertum, cum filiam patroni doceret, «suspectum et ob hoc remotum fuisse [3].» Matronæ factæ magna libertate mulieres fruebantur et sæpius abutebantur. Sui ferme tantum juris, proprium negotium per procuratores gerebant et hominibus pares quin immo superiores, non solum domi sed in omni cœtu fiebant. Dummodo

1. De prisca apud Romanos feminarum institutione et matronarum indole, vid. G. Boissier, *La religion romaine d'Auguste aux Antonins*, lib. III, cap. II, 3, t. II, p. 240-245.

2. Cic., *Pro Muren.*, 6.

3. Suet, *Gramm. ill.*, 16. — Vid. Friedlænder, *Darstellungen*, ib. V, translat. gall., t. I, p. 347-349.

formosæ forent, quisque eas obsequio et adulatione ambire studebat, et, ut superbiæ et libidini indulgerent, mores societasque vitæ certatim incitabant[1].

Quo fiebat ut, ad finem vergentibus liberæ reipublicæ temporibus, jam « a M. Messalæ et C. Cassii censorum lustro, » secundum Plinii verbum, « pudicitia subversa esset[2]. » Cujus rei testimonia in Augusti legibus et coram senatu habitis orationibus[3], Horatii carminibus[4], Propertii elegis[5], Ovidii amatoriis versibus[6] abunde se offerunt. Etiamsi multum tribuendum sit solitæ oratorum, poetarum et philosophorum amplificationi, certum est mores eo tempore maximum detrimentum quod ad feminas attinet accepisse. Motibus etiam civilibus quibus respublica funditus eversa est, morum inclinatio accelerabatur. Inter

1. Vid. Friedlænder, op. cit., lib. V, translat. gall., t. I, p. 368.
2. *Hist. nat.*, XVII, 245.
3. Dio Cass., LIV, 16.
4. *Carm.*, III, 6, 17, etc.
5. Hic genus infidum nuptarum, hic nulla puella,
 Nec fida Evadne, nec pia Penelope.
 (II, 6, 25, 32, 49, etc.; III, 12, 17, 13, 23.)
6. *Am.*, I, 8, 43:

Ludite formosæ, casta est quam nemo rogavit:
Aut si rusticitas non vetat, ipsa rogat.

III, 4, 37:

Rusticus est nimium quem lædit adultera conjux,
Et notos mores non satis urbis habet.

Pharsalicam et Actiacam pugnas, cum jam nullæ leges essent et vis omnia regeret, quisque spreta officiorum regula, in diem vivebat[1]. Nunquam vel pessimis imperatorum temporibus, feminæ majore audacia in cupidines ruerunt; Julia, Augusti filia, monstrum non fuit, id est unicum pravi ingenii documentum; multæ enim illustrissimi generis matronæ, Pompeia, C. J. Cæsaris conjux, Servilia, M. Bruti mater, omnes illæ *puellulæ*, quas Catullus memorat, a Cæsare et Mamurra amatæ, pari exemplo flagitiosis libidinibus fuerunt[2].

Ne miremur igitur quod Sulpicia, eo ingenio quod diximus prædita, tanto ardore et impetu in amorem Cerinthi irruerit. Si talis puellæ amentia excusatio-

1. Aptissime illa tempora G. Boissier comparat cum temporibus recentiori sæculo dictis « *le Directoire.* » (*La religion romaine*, t. II, p. 250.) Mortuo Augusto, licentia paulisper ab eo refrenata cum majore libidine effusa est; similiter etiam apud nos, mortuo Ludovico quarto decimo, mali mores eo prolapsi sunt ut temporis illius nomen, « *la Régence,* » idem significet ac pessima morum licentia. In comœdia illius temporis, « *le Préjugé à la mode,* » auctore La Chaussée, velut explicationem videmus versuum supra allatorum de creberrimis Ovidii tempore adulteriis.

2. Unum illorum morum exemplum proferre satis erit : « ... Flagitiosum illud convivium, quod Gemellus, tribunicius viator, ingenui sanguinis, sed officii intra servilem habitum deformis, Metello Scipioni consuli, ac tribunis plebis magno cum robore civitatis comparavit. Lupanari enim domi suæ constituto, Muciam et Fulviam, tum a patre, tum a viro utramque inclytam et nobilem puerum Saturninum in eo prostituit. » (Valer. Max., IX, 1, 8.)

nem possit admittere, cultum quo educata est temporisque mores proferre liceat. Nunquam amor fervidioribus verbis usa est, minore verecundia se velavit, gaudia et voluptates professa est. Testimonium ante omnia est illud carmen, mirandum certe æstu cupidinis et culpæ superbia :

> Tandem venit amor : qualem texisse pudori
> Quam nudasse alicui sit mihi fama magis.
> Exorata meis illum Cytherea Camenis
> Attulit in nostrum deposuitque sinum.
> Exsolvit promissa Venus : mea gaudia narret,
> Dicetur si quis non habuisse sua.
> Non ego signatis quïdquam mandare tabellis,
> Ne legat id nemo quam meus ante, velim,
> Sed peccasse juvat, vultus componere famæ
> Tædet : cum digno digna fuisse ferar[1].

Nullos aut apud antiquos aut apud recentiores versus novimus quibus fervidior et acrior cupido sit exhibita. Post longam expectationem, puella, superatis objicibus, voti compos præ gaudio veluti furit.

In sequenti carmine, octavo scilicet, invisum natalem detestatur,

> Qui rure molesto
> Et sine Cerintho tristis agendus erit[2].

Ejus animum vel minima mora efferat ; si quid eam

1. IV, 7.
2. IV, 8, 1-2.

« suo arbitrio esse [1] » non sinit, statim recalcitrat et aufertur. At contra, simul ac quod obstat superavit, gloriatur et exsultat :

Scis iter ex animo sublatum triste puellæ ?
  Natali Romæ jam licet esse tuo.
Omnibus ille dies nobis genialis agatur,
  Qui nec opinanti nunc tibi forte venit [2].

Mox rivalem metuit ; ferox et invida irascitur, sed ab ingenio non deflectit ; se neglectam indignata, contumeliam in Cerinthum jacit et ei minatur :

Gratum est, securus multum quod jam tibi de me
  Permittis, subito ne male inepta cadam,
Si tibi cura togæ potior pressumque quasillo
  Scortum quam Servi filia Sulpicia :
Solliciti sunt pro nobis, quibus illa doloris,
  Ne cedam ignoto, maxima causa, toro [3].

Paulo post, ut videtur, in morbum incidit, quo pro argumento utitur ut Cerinthi non misericordiam moveat, sed amorem augeat :

Estne tibi, Cerinthe, tuæ pia cura puellæ,
  Quod mea nunc vexat corpora fessa color ?
Ah ego non aliter tristes evincere morbos
  Optarim, quam te si quoque velle putem.

1. IV, 8, 8.
2. IV, 9.
3. IV, 10.

At mihi quid prosit morbos evincere, cum tu
Nostra potes lento pectore ferre mala[1]?

Amorem deinde vidimus semper ardentem, sed quietum et expletum. Fidum et obnoxium Cerinthus se præbuit; puella igitur sine offensionis timore excusatur quod ægra amantem priore nocte non exceperit :

Ne tibi sim, mea lux, æque jam fervida cura,
Ac videor paucos ante fuisse dies,
Si quidquam tota commisi stulta juventa,
Cujus me fatear pœnituisse magis,
Hesterna quam te solum quod nocte reliqui
Ardorem cupiens dissimulare meum[2].

Tali modo amorem sane haud vulgarem et sensus ingenuos ardens ille et acer animus patefacit. Non multa quidem sunt carmina, sed quantam nobis lucem præbent ad cognoscendos qui tunc Romæ vigebant mores et muliebre ingenium penitus introspiciendum! quanti pretii tale documentum, felici quodam fortunæ casu nobis servatum! Poetæ enim et philosophi, quantæcumque sunt facultates et ars in detegendis humani animi latebris, sæpius amplificando et ornando, quo magis legentem moveant et sui admirationem efficiant, res adulterant. Hic contra ars plane abest et sententiæ sine fuco quales ex

1. IV, 11.
2. IV, 12.

ardenti animo eruperunt ostenduntur. Rariora sunt hujus generis documenta, sed cum forte quædam servantur eximium in litteris locum obtinent [1].

Ars contra, sed maximi poetæ, eminet in carminibus inde ab altero usque ad sextum, quæ Tibullo tribuimus, et tibullianum ingenium lingua, versuum pangendorum conditione, sententiarum dispositione et progressu denuntiant. Res quibus poeta utitur eædem fere sunt atque in Sulpiciæ carminibus, sed ita dispositæ ut ex his opus totum et absolutum conffletur. In prima elegia, secunda scilicet totius libri, Sulpicia, præcipua poematis persona, depingitur hac lepidissima imagine, quæ notissimæ illi Deliæ imagini [2] par videtur :

Illius ex oculis, cum vult exurere divos,
  Accendit geminas lampadas acer Amor.
Illam, quidquid agit, quoquo vestigia movit,
  Componit furtim subsequiturque Decor.
Seu solvit crines, fusis decet esse capillis :
  Seu compsit, comptis est veneranda comis.
Urit, seu Tyria voluit procedere palla :
  Urit, seu nivea candida veste venit.
. . . .
Sola puellarum digna est, cui mollia caris
  Vellera dat succis bis madefacta Tyros,

1. Hujus generis sunt apud recentiores epistolæ Heloïsiæ, « *de la Religieuse portugaise,* » « *de Mlle Aïssé.* »
2. I, 1 et 2.

Possideatque, metit quidquid bene olentibus arvis
  Cultor odoratæ dives Arabs segetis
Et quoscumque niger rubro de littore gemmas
  Proximus Eois colligit Indus aquis[1].

In sequenti elegia periculum quoddam, verum aut fictum, a Cerintho in venatione aditum, poeta inducit, cujus opera quam ardens sit Sulpiciæ amor ostendit :

  O pereant silvæ deficiantque canes!
Quis furor est, quæ mens, densos indagine colles
  Claudentem teneras lædere velle manus?
. . . .
Sed tamen ut tecum liceat, Cerinthe, vagari,
  Ipsa ego per montes retia torta feram,
Ipsa ego velocis quæram vestigia cervi
  Et demam celeri ferrea vincla cani.
Tunc mihi, tunc placeant silvæ, si, lux mea, tecum
  Arguar ante ipsas concubuisse plagas :
Tunc veniat licet ad casses, illæsus abibit,
  Ne Veneris cupidæ gaudia turbet, aper[2].

Præterea de morbo poeta loquitur quo jam[3] Sulpiciam laborantem vidimus et vice sua tangit amatoriam illam invidiam quam puella tanto fervore et vi exprimebat. Sulpicia missis ambagibus in Cerin-

1. IV, 2, 5 sqq., 15 sqq.
2. IV, 3, 5 sqq., 11 sqq.
3. Vid. supra, p. 61.

thum insectabatur; poeta vero subtili et diligenter temperata manu vitium illud tractat quod puellæ insitum fuisse videtur :

Pone metum, Cerinthe : deus non lædit amantes.
  Tu modo semper ama : salva puella tibi est.
Nil opus est fletu : lacrimis erit aptius uti,
  Si quando fuerit tristior illa tibi[1].

Carmen de natali die Cerinthi, quod sequitur, magis atque magis ardentem amorem Sulpiciæ ipsius loquentis ostendit :

Qui mihi te, Cerinthe, dies dedit, hic mihi sanctus
  Atque inter festos semper habendus erit.
Te nascente novum Parcæ cecinere puellis
  Servitium et dederunt regna superba tibi.
Uror ego ante alias : juvat hoc, Cerinthe, quod uror,
  Si tibi de nobis mutuus ignis adest.
Mutuus adsit amor, per te dulcissima furta
  Perque tuos oculos per Geniumque rogo[2].

Sunt adhuc quædam, exquisite dicta, quæ puellæ imaginem, quod ad invidum animum attinet, perficiunt :

Magne Geni, cape tura libens votisque aveto,
  Si modo, cum de me cogitat, ille calet.

1. IV, 4, 15, sq.
2. IV, 5, 1, sq.

Quod si forte alios jam nunc suspirat amores,
Tunc precor, infidos, sancte, relinque focos[1].

Furtivus adhuc amor est multaque communi conjugii desiderio obstant, eo magis quod Cerinthus, qualis in fabula cernitur, tam timidus et segnis est quam Sulpicia fortis et firma :

Optat idem juvenis quod nos, sed tectius optat :
Nam pudet hæc illum dicere verba palam[2].

In sexto carmine, de Sulpiciæ natali, non adhuc voti compotes amantes videmus; hac enim prece Junonem poeta orat :

At tu, sancta, fave, neu quis divellat amantes,
Sed juveni quæso mutua vincla para.
Sic bene compones : ullæ non ille puellæ
Servire aut cuiquam dignior illa viro[3].

Alludit etiam impedimentis quæ Sulpiciæ parentes matrimonio opponebant :

Præcipiat natæ mater studiosa, quod optet :
Illa aliud tacita, jam sua, mente rogat[4].

Concluditur denique lepida illa fabula carmine illo quod falso, ut diximus[5], in secundo libro ad-

1. IV, 5, 9 sqq.
2. IV, 5, 17-18.
3. IV, 6, 7 sqq.
4. IV, 6, 15-16.
5. Vid. supra, p. 53

dictum est quodque Cornuti, Sulpiciæ conjugis, relicto Cerinthi falso nomine, natalem reducem celebrat. Poeta enim, in sexto quarti libri carmine, postremo scilicet de Cerintho, dixerat :

> Veniet quum proximus annus,
> Hic idem votis jam vetus adsit amor[1].

Vota exaudita sunt, nam Cornutum uxoris tantum « fidos amores » et « prolem » optantem videmus. Atque utinam fidi sint, Sulpiciaque semel et in æternum arserit !

Haud facile reperias in omnibus vel latinorum vel græcorum poetarum operibus amatoriam fabulam callidiore arte explicitam et quasi gradibus ductam, fervidiore flamma flagrantem, arctiore spatio perfectiorem. Procemium, argumentum, explicatio inter se mirum in modum conveniunt, donec splendidissimo exitu concludantur, et in toto poematis ductu ars et natura, vera scilicet et ficta, eximio momento librata et juncta mentem simul oblectant et explent. Nihil, ut sæpius in Tibullo fit, supervacaneum aut inutile moratur carmen et corrumpit; nullæ sunt ceterorum poetarum imitationes, rerum descriptiones vel fabulosæ historiæ. Absunt quoque in dispositione et tracta-

1. IV, 6, 19-20.

tione inæqualia et exilia illa quibus interdum in ceteris poetæ operibus offendimur. Materiem mire convenientem amplexus, omnibus animi ingeniique viribus tractavit et quod potuisset inficere abjecit. Si nihil aliud præter illa carmina nobis ejus nomine pervenisset, maximos tamen inter poetas annumerandus sit dignumque juxta Virgilium et Horatium locum obtineat. Vel cum Deliam suam canebat, felicior ei spiritus non fuit nec magis exactam artem adhibuit. Tunc enim dolores proprios intimaque gaudia exprimebat, nimisque concitati affectus ingenium interdum cohibebant; at contra in depingendo Cerinthi et Sulpiciæ amore, qui nihil ad ipsum attinebat, omnes ingenii nervos intendere et opus exactum perficere potuit.

CAPUT IV

DE ELEGIIS TERTIADECIMA ET QUARTADECIMA QUARTI LIBRI. GLYCERA [1]

Supra jam diximus [2] elegias tertiamdecimam et quartamdecimam quarti libri referri posse Glyceræ illi cujus nomen apud Horatium [3] occurrit. Quæ enim ratio ad veritatem proxime accedere videtur. Nonnulli tamen docti viri, inter quos Passowius [4] et Dieterichus [5], eas tibullianorum operum parti quæ ad Deliam attinet, scilicet primo libro, adjungi voluerunt. Quas igitur censent, primo ut novum librum formarent conscriptas, — prior enim absolutus videtur et omnibus partibus cohæret, — interruptas mansisse. Post mortem poetæ, cum secundo propter sententiarum discrepantiam

1. Cf. W. Teuffel, *Studien und Charakt.*, p. 369, sq.
2. Vid. p. 13.
3. *Carm.*, I, 33, 2 sqq. Vid. supra, p. 12.
4. *De ordine temporum quo primi libri elegias scripserit Tibullus*, Vratislaviæ, 1831; *Opuscula academica*, Lipsiæ, 1835, p. 280 sqq.
5. *De Tibulli amoribus sive de Delia et Nemesi*, Mattiaci, 1844.

adjungi non possent, ab editore quarti libri carminibus, quibuscum conformatione quadam congruunt[1], additas fuisse putant. At, mea sententia, adeo inter se differunt, quod ad argumentum attinet, duæ illæ elegiæ et primi libri carmina, ut Passowii et Dieterichi ratio omnino rejicienda sit. Nunquam enim poeta in primo libro de Delia sensus expressit qui in tertiadecima, immo in quartadecima quarti libri elegia eminent ; nullo modo fieri potest, verbi gratia, harum primam cum sexta primi libri congruere et in utraque eamdem personam induci. In sexta enim primi libri brevi abruptum iri cum Delia amicitiam plane cernimus nec in quarti libri quartadecima reconciliatæ concordiæ mentio ulla invenitur. Credendum potius, si ad Deliam novissima quarti libri carmina pertinerent, illa primis amoris illius temporibus conscripta esse. Quo posito, tertiadecima quarti libri elegia eodem tempore quo prima primi conscripta sit, eo magis quod in utraque lyricus quidam spiritus invenitur qui plane in ceteris primi libri carminibus accurate et per otium expolitis deest. Simili ratione quartamdecimam, in qua jocus et querimonia miscentur, inter tertiam et quartam annumeremus[2].

Sensus vero in his ultimis quarti libri elegiis ex-

1. Ita censet Lachmannus, l. s. s.
2. Cf. W. Teuffel, *Studien*, p. 370.

pressi plane Glyceræ illi conveniunt, quam in Horatio « immitem » et parum fidam videmus. Si, ut censeo, ad eam elegiæ illæ pertinent, post de Delia et ante de Nemesi carmina sunt conscriptæ, nam, ut nos monuit Ovidius[1], Delia « primus amor, » Nemesis « cura recens » poetæ fuerunt.

In tertiadecima primum spirat ardens quædam et inquieta cupido quæ multa vi exprimitur :

Nulla tuum nobis subducet femina lectum :
   Hoc primum juncta est fœdere nostra Venus.
Tu mihi sola places, nec jam te præter in urbe
   Formosa est oculis ulla puella meis.
Atque utinam posses uni mihi bella videri !
   Displiceas aliis : sic ego tutus ero.
Nil opus invidia est, procul absit gloria vulgi :
   Qui sapit in tacito gaudeat ille sinu[2].

In his versibus poetæ timorem et invidiam velatis verbis expressa videre est; cum enim sit provectiore jam, ut videtur, ætate quam Glycera, rivalem reformidat et eo magis puellam, quæ jam fatigatum et ægrum animum mulcet recreatque, poeta retinere conatur, nec tamen ejus constantiæ confidit :

Tu mihi curarum requies, tu nocte vel atra
   Lumen, et in solis tu mihi turba locis[3].

1. Vid. supra, p. 12.
2. IV, 13, 1 sqq.
3. IV, 13, 11-12.

Iterum igitur illam a se ante omnes adamari jurat, sed mox confessionis eum pœnitet. Timet enim ne puella, imperii conscia, nimia gratia male utatur et animi levitatem erga amantem exerceat :

Quid facio demens? heu! heu! mea pignora cedo.
Juravi stulte : proderat iste timor.
Nunc tu fortis eris, nunc tu me audacius ures :
Hoc peperit misero garrula lingua malum.
Jam, facias quodcumque voles, tuus usque manebo,
Nec fugiam notæ servitium dominæ,
Sed Veneris sanctæ considam victus ad aras.
Hæc notat injustos supplicibusque favet[1].

Mox enim eum fidam non esse puellam rumor docet. Quid tum? Non irascitur, sed, æquiore et toleranti animo, a semet ipso impetrare videtur ut taceat patiaturque :

Rumor ait crebro nostram peccare puellam :
Nunc ego me surdis auribus esse velim.
Crimina non hæc sunt nostro sine jacta dolore.
Quid miserum torques? Rumor acerbe, tace[2].

Non ita quidem ineunte ætate et primis amoribus perfidiam Tibullus accepisset. A Delia sua delusus,

1. IV, 13, 17 sqq.
2. IV, 14.

quanto dolore in perfidam accensus esset, qui lepidissimis versibus ut maneret casta precabatur !

At, tu, casta, precor, maneas : sanctique pudoris
Assideat custos sedula semper anus.
Hæc tibi fabellas referat positaque lucerna
Deducat plena stamina longa colu ;
At circa gravibus pensis affixa puella
Paulatim somno fessa remittat opus.
Tum veniam subito, nec quisquam nuntiet ante,
Sed videar cælo missus adesse tibi.
Tunc mihi, qualis eris, longos turbata capillos,
Obvia nudato, Delia, curre pede.
Hoc precor, hunc illum nobis Aurora nitentem
Luciferum roseis candida portet equis [1].

Pulcherrima tamen quæ de Glycera credimus carmina sunt, et, quamvis citissime interruptum amorem testentur, cum præstantissimis poetæ elegiis conferri possunt. Prior elegia vi præcipuo et ardore eximio eminet; quodque verbum facile, acre, verum est, quisque versus priorem auget; nil redundat omniaque ad effectum totius carminis pertinent. In ea spirat flebile nescio quid et molle quo legentis animus vehementer commovetur et merito Teuffelius [2] nullam in omni Romanorum poesi parem esse, in ea ad summum pervenisse tibullianum ingenium judicat. In poste–

1. I, 3, 83 sqq.
2. *Studien*, p. 370.

riore, etsi brevissima, omnis provectioris jam ætatis mœstitia animique præterita respicientis ægritudo eminent. Ibi denique nudatur ingenium illud tibullianum, candidum, tenerum, non sine quadam ignavia et animi mollitie, quod jam in prioribus amoribus se ostendit, sed non pari ingenuitate. Ei sensum oculorum erga amicas amor premit, sed volenti et quasi proposito concilio. Si amor ille sum Glycera citius non interruptus fuisset, parem mirandis his de Delia elegis carminum seriem habeamus.

CONCLUSIO

Si nunc aggrediamur breviter contrahere quæ de illo quarto tibulliani libro disputavimus, hæc nobis enuntianda videantur.

Præter carmina inde a septimo usque ad duodecimum, quæ Sulpiciæ cuidam tribuenda sunt, certus ille liber haberi potest. Qui tamen, ut verum loquamur, liber dici non debeat; non enim totius operis absoluta et colligata pars est, sed potius « libelli farrago, » nam fragmentis constat inter se dissimilibus, non junctis sed coactis. Si illa disponere et proferre poetæ licuisset, certe longe alia ratione usus sit nec librum qualis est nunc in manus habeamus.

Fragmenta vero illa cum singula et in se considerantur, tribus absolutis et unis operibus conflata apparent, scilicet Messalæ panegyricus, Sulpiciæ et Cerinthi historia, carmina de Glycera. Non æqui momenti sunt, sed sua cuique jucunditas et pretium inest.

Messalæ panegyricus, opus juvenile, poetæ initia, nisus, dubitationes ostendit et multa de ejus vita, indole, primo ingenii ductu indicia præbet. In eo solo Tibullus hexametro versu usus est; ergo, si desit illud poema, pars tibullianæ artis nobis ignota sit nec poetam videamus se exercentem in nobili illo heroico versu, præstantissimo latinorum carminum genere, quo Lucretius, Catullus, Virgilius excelluerunt. Multum abest ut optimum sit nec ejus pretium in majus celebrabimus; ei tamen unici exempli auctoritas est.

At contra nunquam nimis extolli poterunt duæ illæ carminum series quæ in Sulpiciæ et Cerinthi amoribus versantur. In his enim maximi pretii « documentum » necnon mirandum opus una habemus. Sulpiciæ carmina cupidinis sinceræ et insolentis sunt testimonia, quibus mulieris haud vulgaris cor et indoles nudantur, et illustrantur romani mores vergentibus in finem liberæ reipublicæ temporibus. Tibullus vero omne ingenium in explicatione hujus argumenti patefecit et sex illæ elegiæ (adjuncto secundo carmine libri secundi) nulli earum cedunt quæ in ceteris libris pulcherrimæ inveniuntur; maximum poetam se in illo parvo sed egregio opere præbet.

Carmina denique de Glycera novam nobis et jucundissimam amoris formam offerunt in illo poeta qui

vitam omnem et totum ingenium in amore sentiendo et canendo consumpsit. Non jam in his felix et lætus Deliæ et Nemesis amicus cernitur, sed homo dolens, qui dolorem diligit et ex ea velut amarum oblectamentum percipit. Animi illius ardentis et ingenui novus ibi aspectus cernitur.

Quartus igitur ille liber, etsi male cohærens, ceteris Tibulli operibus sæpius æquus est illa interdum superat; quo sublato, pars eximia poetæ nobis ignota sit. Plurimas ergo grates agamus ignoto editori cujus tanto beneficio obligati sumus.

FINIS

Vidi ac perlegi,

Lutetiæ Parisiorum, in Sorbona,

a. d. IV idus aug. ann. MDCCCLXXXII,

Facultatis Litterarum in Academia Parisiensi Decanus,

A. HIMLY.

Typis mandetur,

Academiæ Parisiensis Rector,

GRÉARD.

TO [illegible]

[illegible]

INDEX

Motteroz, Adm.-Direct. Imp. réunies, A

ERRATA

Pag. 3,		lin. 6,	pro Æstlingio *lege* Œstlingio.
— 9,	not. 1,	lin. 1,	— natuli *lege* natali.
— 17,		— 10,	*pone* se *ante* favere.
— 19,	— 5,	— 6,	*transfer* « ; » *post* Alterth.
— 20,		— 22,	pro accebat *lege* accibat.
— 22,		— 16,	— affere *lege* afferre.
— 23,		— 10,	— panegyricus *lege* panegyricum.
— 27,		— 14,	— sole *lege* die.
— 29,		— 9,	— concelebre *lege* concelebret.
— ibid.,		— 6,	— Osiridi *lege* Osiride.
— 38,		— 10,	— Teufellius *lege* Teuffelius.
— 43,		— 5,	— « peccasse juvantem » *lege* exclamantem « peccasse juvat. »
— 51,		— 11,	— cru *lege* crus.
— 54,		— 1,	— (obse) dentes *lege* (obse) quentes.
— ibid.,		— 2,	— nopebantur *lege* ponebantur.
— 60,		— 2,	— usa *lege* usus.
— ibid.,		— 3,	— professa *lege* professus.
— 65,	not. 1 et 2		— sq. *lege* sqq.
— 68,	— 1		— sq. *lege* sqq.
— 74,		— 8,	— concilio *lege* consilio
— ibid.,		—ibid.,	— sum *lege* cum.
— 75,		— 2,	— tibulliani *lege* tibulliano.
— 76,		— 17,	— hand *lege* haud.
— 77,		— 8,	*pone* « , » *post* est.

39